  Ut, qui scripserunt pristina gesta, ferunt;
Romaque turrigerum caput effuit maxima rerum
  Tam dono superum quam studiis procerum.
Sic ex Aenea crescunt Romana trophaea 275
  Sic gens Romulea surgit ab Hectorea.

INDEX LATINITATIS.

adaptare = aptare. V, 314.
adscire = acciere. I, 133.
advos = advors, adversus, hospes, hostis, alienus. I, 572.
aequiparativus = aequus. IV, 792.
alabrum. Haspel. V, 209.
allectoria verba = suasio. IV, 225.
alterutrare = alternare. III, 10.
ancorare = ancoris navem constituere. II, 288.
armellus. mus ponticus, armellinus, armellina. IV, 755.
bever = fiber, castor. IV, 755.
bipartire = bipartiri. V, 372.
bisulcare = dirimere. IV, 252.
braccare = braccas induere. V, 509.
cacabus, utensile coquinae. metaphorice. IV, 374.
calcare = vitiare. V, 119.
cancrinus. pede cancrino = pede tardo, senis. IV, 194.
caprizans = saltum faciens. V, 131.
cassare = delere. I, 499.
cifra = nota. datur cifra pigris. I, 795.
ciphus = scyphus, vas minus. V, 138.
circumscriptibilis locus. IV, 710.
commune = conventus, consilium. I, 279.
comperimo = compereo. I, 108.
confabricare = confabricari. VI, 82.
conservamen = conservatio. VI, 351.
contrarietates, quae contra dicuntur. VI, 3.
corrigia = zona, flagellum. IV, 282.
cortina = velum, nostr. Gardine. V, 31.
cristare = fulgurare V. 229. = cristam habere. VI, 353.
culturam vindicare = cultum, venerationem vindicare. I, 132.
dedicare = negare. IV, 197.
deliciari = delectari. V, 356.
denigrare = detergere, deterius facere. I, 421.
deprope = statim, deinde. IV, 468.
derosulare = derodere. IV, 224. derosulata = foliis denudata. V, 260.
desipere = alieno sapore, priore amisso inficere, aberrare. III, 526. mucro desipit. Epitomat. 968. dissiluit mucro.
devolitare = devolare. VI, 473.

diapente, mensura in musica tribus constans tonis et dimidio (Quinte). V, 131.
diescere = dies fieri, diei instar lucere. V, 9.
diffamare, διαφημίζειν, devulgare, pervulgare. VI, 241.
diffibulare = avertere. V, 563.
diffinire = definire.
dissido = dissideo. IV, 492.
docivus = qui docet. V, 109.
doma, domatis = tectum, domus. III, 824. VI, 442.
duplare = duplicare. V, 747.
emenda = satisfactio. I, 432. II, 403.
enbipodare = dubiis pedibus ire, vaccilare. VI, 425.
exere = ejicere. V, 543.
expressus = distinctus. VI, 584. 585.
factura = forma. II, 49.
firmamentum = praesidium.
fossatum = vallum. V, 249.
fulcrum = fultrum, ornamentale pannum. V, 12.
furfurare = facere ut nitent. I, 524.
gades = limes. VI, 704.
gausape (gausapa) gausapium. mappa qua tergitur. V, 348. Vocabular. Latin. Germ. 1477. interpretatur per Handzwehl.
gerundiva verba pacis; verba quae pacem faciunt. III, 283.
girgillus = rota: instrumentum femineum, nostr. Weife. V, 208.
hymnidicatas = hymnidicus. hymnis celebratus. V, 160.
idemtitus = aequalitas, paritas. gallic. identité.
idoneitas = facultas. I, 181.
impejorare = pejorem facere. III, 564.
imprime = imprimis. V, 247.
improperare = deridere, improperium affigere. I, 274.
incunctanter = sine mora. II, 481.
infamare = divulgare, accusare, criminari.
infortes = valde fortes. II, 436. IV, 186.
infruticare = germinare, de barba dictum. I, 579.
ingeniare = per ingenium excogitare. V, 929.
inhonestas = indignitas. IV, 222.
inopinatissimus. VI, 405.
insuperatus = qui non superatus est. V, 966.
irreditura = non reditura. I, 386.
irrutilare = rutilare. IV, 706.
jugiter = continuo. VI, 6.
laboriperus = laborem parans. VI, 238.
lacrimor = lacrimo. VI, 503.
lacus. fem. gen. V, 296?
latitanter = clanculum. III, 209.

levipendere = parvi aestimare. I, 191.
lubricitas = impudicitia. IV, 138.
lutosus = sordidus. V, 831.
marina = aestus maris turgidior. VI, 812.
martur = martes, pannonicus cattus. IV, 755.
mediare = in duas partes dividere. II, 29.
mollificare = mollem facere. IV, 226.
mungo. μύω. privare. VI, 300.
muscidus. m. annis. IV, 3.
myrteus. de colore crinis. II, 73.
nocumentum = damnum. VI, 354.
obrivare = redundare. I, 437.
pălare = fugere. fortassis cohaeret cum balare, saltare. IV, 259. 359.
pălare = palam facere. III, 737.
palliare = pallio vestire, tegere. III, 737.
Pelopensis = Pelopejus. I, 7.
pigritari = lassum esse. VI, 695.
pirula = perula, extremitas. p. nasi. IV, 663.
placitare = in judicio loqui. V, 951.
plata = platea. IV, 643.
polis = urbs. III, 642.
pontificus a. um. II, 304.
probatio = approbatio. I, 345. V, 861.
proire = praeire, praecellere.
propino = praebeo. IV, 479.
quadratus. corpore quadratus. II, 96. membris quadratus. II, 80. gallice quarré.
querelare = querelas facere. V, 959.
rancor = ira, odium. ital. rancore gall. rancune, rancoeur.
rationabilius.
reforsare = refortiare, amplius munire. I, 135.
renactus = circumdatus. VI, 417.
repariare = renavigare. I, 112. repariare naves = navigare. V, 362.
repatriare = in patriam reverti. Argum. lib. VI, 10.
saberus = sabellum, martes. vulg. Zobel. IV, 755.
sanguinolentare = sanguine sitire. V, 378.
segnus = segnis. V, 974.
sententio = sententiam proferro. VI, 117.
smaragdare = colore smaragdino induere. V, 7.
sollemtus = festivitas. V, 145.
spirale = spiritus, exhalatio. II, 490.
stellare = stellis micare. stellant magnis oculis. II, 25. stellatus oculis. II, 45.
strepa = stapes quo quis in equum tollitur. I, 798. V, 200.
subinfra. II, 460.

subintereo = intereo. V, 330.
subsannare = irridere.
subsannativus = irridens. II, 601.
subterrare = sepelire. III, 185.
succino = anumerare. II, 396.
surma vid. syrma.
supiciosus = suspectus. VI, 186.
syrma = vestis humum verrens. IV, 750.
temo = navis gubernaculum. I, 6.
terebrare minis. I, 262.
teristrum = theristrum, palliolum, vestis muliebris, V, 207.
tibia. Non est tibi tibia tanti. I, 223.
triteae, ligna super quae potabilia ad coenae usum posita sunt. V, 143.
truculantia = truculentia, ferocitas.
turnare = pugnare. II, 815.
umbrificare = adumbrare. III, 62.
variare. probra v. restituere. I, 530. 31. II, 312.
velter = veltris, veltraha, canis sagax. IV, 283.
vilatus = dilatus. vilere, vilescere. III, 192. legitur melius dilatus.
visivus. gladius visivus; de oculis qui quasi gladii pungunt et vulnerant. I, 605.

Efternácensis.

THIOFRIDI EPTERNACENSIS

VITA WILLIBRORDI METRICA.

EX COD. GOTHANO EDIDIT

RECENSUIT

PROLEGOMENIS COMMENTARIO INDICIBUS

INSTRUXIT

KONRADUS ROSSBERG.

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXXIII.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

PROLEGOMENA.

Quae Wattenbachius in praefatione, quam Vitae sancti Willibrordi Alcuinianae praemisit (Bibl. rer. Germ. ed. Jaffé tom. VI p. 38), de Thiofridi Vita Willibrordi iudicat, ea profecto non sunt eiusmodi, ut quemquam ad hoc opus edendum impellant. Dicit enim vir doctissimus loc. laud.: 'Tribus post Alcuinum saeculis Thiofridus Epternacensis abbas, qui a. 1110 obiit, novam Willibrordi vitam scripsit *quae adhuc inedita iacet et*, ut videtur, *merito iacebit*.' Non omni ex parte Wattenbachii sententiae astipulatum esse Ludewicum Weilandum inde apparet, quod eius Vitae Willibrordi, quam abbas Epternacensis prosa oratione conscripsit, aliquas tamen partes in Monumentis Germaniae scriptor. tom. XXIII pag. 23—30 publici iuris fecit. Et hic quidem, ut est historicus, ea sane capita digna existimavit, quae oblivioni eriperentur, quibus historiae medii aevi clarior quaedam lux offundi posset: quid vero, si alia etiam causa extet, cur, certa quaedam medio aevo scripta ut in lucem proferantur, eruditorum hominum interesse videatur? Interest autem eorum, qui in philologiae historia perscrutanda operam et laborem collocent, vel maxime inquirere, qualia fuerint scriptorum medii aevi antiquitatis studia, unde, quomodo memoria veterum scriptorum servata sit et ad nostram usque aetatem pervenerit, clarius perspiciatur. Ta-

lem autem fructum uberrimum redundare ex operibus Thiofridi si non omnibus, at certe Vita eius metrica, et commentario nostro et ea horum prolegomenorum parte, quae est de Thiofridi antiquitatis studiis, appariturum confidimus et speramus. Quantumvis igitur non repugnantes illustrissimo illi historico concedamus rerum medio aevo gestarum cognitionem vix ullum emolumentum capere ex Thiofridi carmine, tamen ea ipsa de causa, quam modo attulimus, nos operam et oleum non perdidisse pro certo habemus. Atque haec quidem hactenus.

Iam ad ipsum praefandi munus accedentes primum pauca disseremus de Thiofridi vita et scriptis.*)

Vitae Thiofridi, si pauca et tenuia frustula excipias, quae ex eius scriptis promi possint, memoria fere omnis debetur duobus catalogis abbatum Epternacensium, quos post Marteneum (in Collect. ampliss. tom. IV anno 1729 edito pag. 505—517) iterum typis expressit Ludewicus Weiland in Monum. Germ. SS. tom. XXIII pag. 30—38. Duobus autem locis de Thiofrido agitur, quorum alter in priore, alter in secundo catalogo habetur. Prioris catalogi verba, quatenus huc faciunt, haec sunt, l. l. pag. 33 lin. 5:

'*Ad postremum* (Reginbertus abbas) *successorem sibi domnum Tiofridum designavit sicque 30. ordinationis suae anno, 3. Idus Decembris in pace quievit et .... sepultus est Heinrico IV. imperatore cum exercitu in Italia degente anno 26. regni eius. Prae-*

*) Quae de Thiofridi vita et scriptis disserenda putavimus, eis maximam partem fundamentis innituntur, quae Ludewicus Weilandus iecit, cum in operis illius summo opere admirandi, cui titulus est 'Monumenta Germaniae historica', scriptorum tomo XXIII ante hos VIII annos edito paginis 11—73 monumenta Epternacensia, quatenus ei ad historiae notitiam aliquo pretio esse viderentur, typis excudenda curaret. Noluimus autem eos, qui editione nostra utentur, unde ad 'Monumenta' relegare, cum, quam difficilis sit permultis ad voluminosissimum illud et pretiosissimum opus aditus, ipsi experti sciamus.

fuit autem huic loco a 13. anno Heinrici III. usque ad 26. annum regni Heinrici IV. Quem post biennium adiens domnus abbas Tiofridus Romae anno incarnationis Domini 1083. 13. Kal. Decembris abbatiam suscepit eamque per 28 annos in omnibus sequens vestigia praedecessoris sui, ut verus Israelita strenuissime rexit.... anno incarnationis Domini 1110, indictione tertia, tertio Nonas Aprilis in senectute bona obdormivit in Domino sepultusque est in conventu a Brunone Treverensi archiepiscopo.'

In altero autem catalogo l. l. pag. 34 lin. 10 haec extant:

'*Theofridus abbas anno incarnationis Domini 1083. 13. Kal. Decembris abbatiam Romae suscepit eamque per 28 annos strenuissime rexit ac anno 1110 incarnationis dominicae tertio nonas Aprilis ex hac luce migravit. Praefuit autem huic loco a 28. anno Heinrici IV. usque ad 3. annum regni Heinrici V., subtilisque ingenii monimenta plurima in prosis et metris et diversis historiarum cantibus, in quibus mirifice floruit, dereliquit.*'

Quando et ubi natus sit, ignoratur. Eum primaeva aetate in monasterio Epternacensi nutritum ibique primis litterarum studiis imbutum esse Lud. Weilandus inde concludere sibi videtur, quod anno 1031 elevationi (i. e. translationi) sancti Willibrordi, quae in cap. XXXIV Vitae enarratur, interfuerit. Sed quem affert locum ex Thiofridi Floribus epitaphii sanctorum I cap. 6 (cod. Goth. 70 fol. 111[r] 111[v]) '*insinuavitque* (Humbertus abbas) *per ea quae potuit dicere facile nos posse conicere maxima esse, quae vel non potuit vel timuit verbis exprimere*' ad sententiam suam probandam, dubito, an is necessario ita intellegi debeat, ut Thiofridus ipse in elevatione ista interfuisse putandus sit. Quod enim l. l. dicit '*nos posse conicere*', videtur illud aut ex persona, ut ita dicam, audientium dictum esse, aut sensu generali pro '*omnes quicunque audiunt et audient*'

positum. Cf. Wattenbachii praefatio in Alcuini Vitam S. Willibrordi (Jaffé Bibl. rer. Germ. tom. VI pag. 35) et Dümmleri prooemium in Alcuini carmina (Poetae latini aevi Carolini rec. Ern. Dümmler tom. I pag. 163). Utut autem illud '*nos*' intellegendum est, oriuntur non exiguae difficultates comparatis anno 1031, quo ossa Willibrordi translata sunt, et anno 1110, quo Thiofridus obiit. Quamvis enim in primo catalogo l. l. dicatur Thiofridum *in bona senectute obdormivisse*, tamen, etiam si anno 1031 non amplius decem annos natus erat, cum mortem obiret anno 1110, non grandaevum, sed senem decrepitum nonaginta fere annorum eum fuisse apparet. Idem, ut ipse testatur Vit. metr. II 675, hanc Vitam componebat anno 1105 agebatque, modo rata sit computatio nostra, quam modo fecimus, eo anno octogesimum quintum annum; virum autem natu tam grandem tale opus, quale est Vita Willibrordi metrica, suscepisse et brevi absolvisse persuadere equidem mihi non possum. Sed missam faciamus hanc quaestionem, utpote quae ad certum finem perduci nequeat neque multum conferat ad interiorem Thiofridi scriptorum cognitionem. Summa familiaritate eum usum esse Brunonis, qui anno 1102 archiepiscopus Treverorum factus est, cum inde apparet, quod *Flores epitaphii sanctorum* ei dedicavit, tum ex ipsius verbis, quibus in dedicatione illius operis utitur. In eadem dedicatione etiam '*consanguineorum Brunonis in se dignationis ac benivolentiae*' mentionem facit. Quemadmodum autem comites Laufenses, quorum de gente nobili Bruno archiepiscopus oriundus erat, benevolentes et gratiosos in Thiofridum se praestiterint, nescimus. Weilandus suspicatur eos monacho copiam fecisse studia in schola Epternacensi cum utilitate incepta etiam aliis locis, fortasse Leodii seu Parisiis, continuandi. Quae quidem ut incerta in medio relinquo. Certiora ea sunt, quae ex catalogorum locis supra allatis cognoscimus. Igitur Re-

ginbertus abbas, qui praefuit monasterio Epternacensi ab anno 1051 usque ad annum 1081, antequam diem supremum obiret, successorem suum designavit Thiofridum. Mortuo autem Reginberto fieri non potuit, ut statim abbatis munus Thiofridus susciperet, ea de causa, quod Heinricus IV. imperator eo tempore in obsidenda Roma occupatus erat. Atque cum ne duobus quidem annis post imperator in Germaniam revertisset, Thiofridus Alpes transgressus eum adiit (cf. prioris catalogi l. l.), ut de manibus eius sceptrum regiminis acciperet. Extiterunt moderno tempore, qui contenderent Thiofridum per biennium rem habuisse cum competitore partes Heinrici imperatoris sequente, cum ipse a Gregorio VII. papa staret, et Romam profectum ab hoc abbatiam Romae suscepisse. Quod qui fieri potuerit, aegre intelleget, qui res sub finem anni 1083 ad Romam gestas contuitus erit. Neque ita verisimile est eum, qui contra aemulum imperatorium papae auxilio palmam tulerit, tanta cum reverentia Heinrici imperatoris mentionem fecisse, ut exempli gratia Vit. metr. II. 671—680 eius originem a Karolingis repetierit ibidemque v. 674 de eo dixerit: *Heinricus ... Caesar et Augustus, quo fulget sidere mundus.* Ne plura, in tota hac quaestione aestimanda eis calculum addo, quae Lud. Weilandus l. l. pag. 12 exposuit. Thiofridum monasterio Epternacensi strenuissime praefuisse uterque testatur catalogus. De singulis rebus ab eo gestis nihil scimus, excepto quod ipse narrat in Vita Will. cap. XXXVI bellum domesticum inter insulae Walichrensis habitatores exortum se conciliante esse compositum. Anno 1110 tertio Non. Apr. in bona senectute obiit et a Brunone, archiepiscopo Treverensi, familiarissimo suo, in conventu sepultus est. Ingenii ubertate eum floruisse et multa cum soluto tum vincto sermone scripta reliquisse in altero catalogo disertis verbis narratur. Iam igitur, quae de eius scriptis commemoranda videantur, liceat exponere.

Vitam s. Liutwini, archiepiscopi Treverensis, eum scripsisse ipsius testimoniis confirmatur. Dicit enim in exordio Vitae Willibrordi prosaicae: '*cum ante dictassem vitam.... Liutwini.... et sparsissem Flores epitaphii sanctorum per 4 volumina*' et in dedicatione Florum ad Brunonem archipiescopum Treverensem: '*errata corrigite et consultus exemplo predecessoris ac nutritoris ac sanguine propinqui vestri, Udonis archypresulis aeternae memoriae, qui vitam... Lwitwini a me qualicumque stilo caraxatam sui testimonii corroboraverit examine*'. Hanc eandem esse vitam Liutwini, quae vulgo Nizonis, abbatis Mediolacensis, nomine fertur, Pierius (Act. Sanct. Sept. VIII 159 sq.) evincere conatus est et Weilando (l. l. pag. 13) et Wattenbachio (Deutschlands Geschichtsquellen II³, 88) evicisse videtur. Waitzius (M. G. SS. VIII pag. 115) eam Vitam circa vel post annum 1070 scriptâm esse censet idemque, quibus codicibus contineatur, et adhuc ineditam eam esse ibidem refert.

Flores epitaphii sanctorum post annum 1102 si non elaboravit, at certe Brunoni archiepiscopo Treverensi dedicavit, qui eo ipso anno archiepiscopatum nactus est.

Post hoc opus Thiofridum *Vitam Willibrordi prosaicam* aggressum esse ex loco Vitae prosaicae supra allato, vivo adhuc Heinrico IV., ex capite XXII. eiusdem Vitae patet. Iam cum *Vitam Willibrordi metricam* se anno 1105 condidisse ipse testetur Vit. metr. II 675, Vitam autem prosaicam ante metricam confectam esse certis prodatur vestigiis, illam anno 1103 vel 1104 exaratam esse consectarium est.

Eodem fere tempore *Sermonem in die natali sancti Willibrordi* et *Sermonem in die natali sancti Wilgisli*, patris Willibrordi, ab eo compositos esse verisimile est.

Vitam sanctae Irminae, quae a quibusdum Thiofrido tribuitur, huic non deberi sed confundi

cum Vita Irminae Theoderici Chronico Epternacensi eiusdem Theoderici inserta (quae extat in M. G. SS. XXIII pag. 48—50) extra dubitationem posuit Lud. Weilandus l. l. pag. 40. Idem vir doctus *Sermones duos de sanctorum reliquiis et veneratione*, qui in Bibliotheca maxima patrum (ed. Lugd. 1677 tom. XII 417—419) sub nomine Thiofridi abbatis vulgati sunt, nostro Thiofrido vindicat, cum ipsum eandem materiam in libris Florum tractasse constet.

De codicibus, quibus Thiofridi scriptorum memoria ad nos pervenit, conferantur M. G. SS. tom. XXIII pag. 19 et tom. VIII pag. 115, de Vitae metricae codicibus infra paullo fusius exponetur.

Ineditam esse adhuc Vitam Liutwini iam supra commemoravimus, Flores epitaphii sanctorum publici iuris fecisse Luxemburgi anno 1619 Ioannem Robertum soc. Iesu testantur, ut Weilandus l. l. pag. 20 dicit, Mabillonius, Perierius, Marxius. Vitae Willibrordi prosaicae particulas quasdam (cap. XII. XXII. XXIV. XXIX. XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI), ex quibus aliquem fructum ad historiae notitiam redundaturum speraret, typis excudendas curavit Lud. Weilandus l. l. pag. 23—30, reliqua adhuc in scidis latent. Vitam metricam nuper anno 1881 (in progr. gymn. reg. Trever.) e codice bibliothecae municipalis Treverensis LXXXIV edidit Richardus Deckerus. Sermones in die natali Willibrordi et Wilgisli adhuc nusquam impressi videntur.

Haec habuimus, quae in universum de scriptis Thiofridi eorumque codicibus et editionibus afferenda putaremus. Nunc cetera missa facientes et in Vita metrica, quam infra edituri sumus, nos continentes exponemus paullo uberius de codice Gothano, in quo praeter alia Thiofridi scripta eius Vita Willibrordi metrica extat.

Liber ille pretiosissimus, qui numero 70 signatus in bibliotheca ducali Gothana asservatur, est membranaceus, in folio scriptus, foliorum centum

undequinquaginta. Una manu nitidissime eum exaratum esse testantur et Lud. Weilandus (M. G. SS. XXIII pag. 19) et is, qui mense Novembri anni 1882 Vitam metricam in usum meum contulit, Ludewicus Pertsch, bonae spei adulescens. In delineandis eis, quae hoc codice continentur, verbis utar Weilandi, cum ipsi mihi quamvis cupienti librum Gothanum manibus versare non contigerit. Weilandi autem verba haec sunt:

'Complectitur: *a*) f. 1^{v} imaginem monachi nigri librum magnum in manibus gerentis, cui inscripta sunt aureis litteris:

Thifrid verna tuus, Wilbrord), hoc dedico munus.*
Pauperis ingeni tibi prome volumen honori.
Si quid desipui, veniam da; te, tua scripsi.
In librum vitae me, laus mea, spes mea, scribe.

— *b*) f. 2^{r} imaginem sancti Willibrordi in sella rubra sedentis, missali viridi induti, pallio amicti, nudi capitis, dextram ad benedicendum elevantis, sinistra librum gestantis. — *c*) f. 2^{v}—45^{v} Vitam prosaicam. — *d*) f. 45^{v}—56^{v} Sermonem in natali sancti Willibrordi. — *e*) f. 57^{r}—94^{v} Vitam metricam. — *f*) f. 94^{v}—98^{r} Sermonem in natali sancti Wilgisli abbatis. — *g*) f. 98^{v} imaginem monachi nigri, immo Thiofridi, corbem floribus plenam manu gestantis et stantis ante pulpitum, quo liber superpositus est, inscriptus: *Extruo pyramidas, cyboria, colligo flores*... (cetera iam legi nequiverunt). — *h*) f. 99^{r} imaginem repraesentantem scrinia reliquiarum, tumbas sepulcrales, varii generis tormenta. — *i*) f. 99^{v} *Incipit prohemium in librum florum epytaphii sanctorum* f. 100^{r} *Olivae uberi, pulchrae, speciosae* (initialis littera O continet imaginem archiepiscopi sedentis, capillis albis, mitra alba, rubro missali pallioque induti,

*) Sic solvendum est compendium, quod in cod. extat, non *Wilbrorde,* ut Weilando videtur; nusquam enim elisionem admittit noster.

sinistra librum gerentis, dexteram ad benedicendum ante pectus tenentis, cum inscriptione: *Brun archiepiscopus**); f. 100^{v} *fructiferae in domo Domini sanctae Trevericae sedis archypresuli Brunoni oleaster aridus Efternacensis caenobii nullius momenti ygumenus Thiofridus* etc. usque ad f. 149^{r} med. — *k*) f. 149^{r} med. legitur manu saeculi XII in. descriptio redituum.' Haec Weilandus. Ludewicus autem Pertsch de ornatu, quo Vita metrica instructa est, haec per litteras mecum communicavit. Duo versus prologi initiales *Prologus in vitam*.... et *Non salit ingenii*.... f. 57^{r} aureis litteris maiusculis in campo rubro, auro circumsaepto scripti sunt. Littera initialis *N* vocis *Non* splendidissime picta est coloribus aureo, rubro, caeruleo, albo. Splendidius etiam ornati sunt ipsius Vitae duo priores versus totam paginam sequentem explentes: *Incipit heroicis*.... et *Quadrifidi cosmi*.... Tota haec pagina caeruleis et aureis lineis cincta est. Versus prior tres lineas in rubro campo scriptas et viridi margine circumdatas complectitur. Verbi *Quadrifidi* littera initialis *Q* eisdem coloribus picta est, quibus illud *N*, de quo paullo supra diximus, caudaque eius crocodilo aureo efficitur, reliquae litterae omnes maiusculae auro pictae. Librorum II. III. IV tituli: *Incipit liber II*.... *III*.... *IV* cum singulis eorum versibus initialibus eodem modo atque in prologo ornati sunt. — Versus carminis omnes in fronte habent litteras aureas maiusculas. Ceterum omnia verba cum nomina propria tum appellativa aequaliter minusculis litteris scripta, quatenus non in versuum initio locum habent, exceptis nominibus *Wilbrord* (*Willibrordus*) et *Thifrid*, quorum litterae paullo altiores. Compendia in codice adhibita paucissima atque ea vulgatissima.

---

*) Ad hunc locum Weilandus annotat: Notandum imagines omnes pro tempore pulchras esse et praesertim colorum elegantissima electione excellentes.

Iam si quaerimus, quo tempore exaratus sit cod. Goth. 70, non est, quod obloquamur Weilando eum initio saeculi XII. tribuenti (nam quod dicit XI. saeculo, manifestus error est calculi), sed autographon esse Thiofridi vix poterit mihi persuaderi. Nam ut omittam temporis ordinem in singulorum scriptorum collocatione non servari et nomen Thiofridi similiter ac Willibrordi altioribus litteris pictum esse, ductus litterarum perquam aequabiles et stabiles manum nequaquam senilem produnt, nedum senis, qui paullo post in senectute bona obdormivit. Neque verisimile est ipsum grandaevum abbatem tantum volumen in fratrum suorum usum conscripsisse. His igitur causis adducti minime quidem negamus codicem Goth. 70 Thiofrido esse coaevum, nec vero ab ipso auctore, sed eius mandatu et auspiciis ab Epternacensis monasterii monacho quodam scribendi pingendique peritissimo intra annos 1105—1110 conscriptum esse statuimus. Hactenus de libro Gothano.

Alter codex, quo Vita metrica continetur, Treveri extat in bibliotheca municipali numero insignitus LXXXIV. Hunc Weilandus XII., Deckerus autem, qui ex eo Vitam metricam edidit, XIII. saeculo exaratum esse putat. Qui cum multo sane recentior sit, ut ipsa orthographia docet, multoque deterior Gothano, non nimis moleste tuli, quod petenti mihi, ut huc transmitteretur codex, paragraphus quidam bibliothecae illius statutorum obstabat. Neque enim ideo illum librum meis oculis inspicere volebam, quod multum fructus inde me capturum sperarem, sed quia suspitio suberat in editione Deckeriana non pauca typothetae vel ipsius editoris errore perperam exhibita esse. Nam quod I 65 *orans* — *orat* pro *ovans* — *ovat*, I 156 *riguit* pro *viguit*, I 418 *care* pro *cave*, II 727 *viventem* pro *virentem*, III 5 *acervae* pro *acerrae*, III 291 *aviditate* pro *ariditate*, IV 57 *removatur* pro *remoratur* legitur, id eo referendum vide-

tur, quod litterae *r* et *v* a Deckero similiter pictae oculos typothetae fefellerunt. Eidem typothetae tribuendum videtur, quod I 69 *forte* pro *fonte*, I 232 *tellas* pro *tellus*, II 37 *Dunus* pro *Durus*, fortasse etiam quod II 148 *scio* pro *scis*, II 480 *prandes* pro *prandeo*, II 539 *solis* pro *solio*, II 616 *Ita* pro *Sta*, III 93 *Yppom* pro *Ypponi*, IV 316 *spe* pro *ope* repraesentantum est. Contra ipsius, ni fallor, editoris culpa accidit, quod II 40 *leniatur* pro *leviatur*, II 87 *Sinit* pro *Sivit*, II 97 *ingens* pro *vigens*, II 129 *quem* pro *quoniam*, II 178. *nobis* pro *nolis*, III 173. 177. 244 *nobis* pro *vobis*, II 613 *Indicium* pro *Iudicium*, III 276 *visum* pro *iusum*, III 353 *novit* pro *vovit*, IV 322 *septem* pro *septeni*, IV 324 *vis* pro *ius* exhibitum est. His igitur locis omnibus eum, qui operam daturus sit codicem Treverensem denuo inspicere, veram scripturam inventurum pro certo habeo, fortasse etiam pluribus. Sed tamen his etiam vitiis detractis sat magnus numerus locorum relinquitur, quibus ille codex lectiones manifeste vitiosas praebet, ut ne momentum quidem temporis dubitari liceat, utri codici priores deferendae sint. Quare, quod in nostra annotatione critica nihilominus etiam libri Treverensis (vel potius Deckerianae eius libri editionis) lectiones ascribendas duximus, non ea de causa factum est, quod eas ullius momenti ad textum constituendum putaverimus, sed quo luce clarius perspiciatur, quanto Treverensi codice Gothanus sit superior.

De Deckeri editione quid sentiam, cum iam in censura eius (Philolog. Rundschau 1882 pag. 1112—1119) exposuerim, ea, quae ibi dicta sunt, hic breviter repetere sufficit. Deckerus igitur in nota praefationi adiecta profitetur se codicem Trev. LXXXIV 'accuratissime descripsisse neque quidquam mutasse, nisi quod in finibus verborum primae declinationis *ae* pro *e* substituerit atque membra orationis per notas nostro more distinxerit'. Mallem, nihil omnino mutasset neque distinguendi

signa interposuisset. Nam *ae* pro *e* tantum abest, ut aequaliter in casibus primae declinationis substituerit, ut nonnunquam littera *e* in adiectivis et substantivis servata eis speciem praebeat adverbiorum. Sic, ut paucis me contineam, I 89 *speculative* retinuit, ubi scribendum erat *speculativae*, eodemque modo I 389.390 *speculative* et *active* pro *-ae*, sic I 70 *theutonice* pro *teutonicae*, sic III 188 *pene* pro *poenae*. Multo autem acrius editor corripiendus est ea de causa, quod nostro more, ut hodie dicimus, interpunxit. Innumeris enim locis tam inepte signa illa posuit, ut perspicuitatem non modo non auxerit, sed saepenumero prorsus obscuraverit. Nec vero aliter ei usu venire potuit, cui saepissime ne intellectus quidem verborum pateret. Quod ita se habere non solum multi loci textus demonstrant, sed multo etiam magis notae, quibus marginem inferiorem — ornavit dico? immo foedavit. Nam ut taceam de eis annotationibus, quibus verba satis nota per notiora reddit, ut puta *paedor* per *odor foedus*, *malus*, *cleptim* per *furtim*, *perditio* per *ruina*, *exitium*, non paucis locis falsissima profert. Quid enim, quod I 1 *crusma*, quod significat *modos musicos*, per *cymbalum* interpretatur, I 91 *Heliam* prophetam pro *Helio*, sole, accipit, I 195 *symmystas* simpliciter *socios* esse putat, cum sint *secretorum conscii*, quid quod I 492 *zodia*, i. e. *animalia*, *signa zodiaci*, per *zona* reddit, II 188 *clibanum*, quod est *fornax*, *thoracem ferreum*, *quo pectus tegitur*, putat, II 484 *dipsadem* anguem cum *δίψα sitis* confundit, III 297 *betulam* arborem intellegit, cum Thiofridus aperte voce hebraica *bethulah*, quod est *virgo*, utatur, IV 137 *quilismata* dicit *sucum expressum*, cum vox illa significet *vibrationes vocum?*

Quae cum ita sint, meritum editoris tantum in eo conspici potest, quod Thiofridi libro ex bibliothecarum umbraculis protracto fontem largum aperuit, sed ita, ut aquae de limo purgandae non ipse subiret negotium, sed relinqueret aliis.

Iam, quoniam de Vitae metricae codicibus eiusque editione Deckeriana sat multa attulisse nobis videmur, revertentes ad Thiofridum de fontibus, ex quibus hausit, de eius genere dicendi, antiquitatis studiis, re metrica verba faciemus.

Ac fontium quidem, ex quibus hausit, uberrimus est Alcuini, nobilissimi illius Caroli Magni secretarii, Vita Willibrordi. Nam quamvis hic noster Alcuinum reprehendat propter neglectam saepissime syllabarum quantitatem (I 3 sqq.) et quod ex miris miranda, ex stupendis stupenda praeterierit (III 23 sqq.), tamen usque eo se applicavit ad eius opus, ut rerum gestarum ordinem ab illo adhibitum tantum non ubique servaverit. Etiam in eo Alcuini exemplum secutus est, quod duplicem Vitam Willibrordi composuit, alteram soluta oratione, alteram versibus heroicis conscriptam. Praeter Alcuini autem Vitam etiam eius, qui ante illum Vitam Willibrordi composuerat stilo videlicet rudi, monachi cuiusdam natione Scoti, mentionem facit (III 21), Weilandusque (M. G. XXIII p. 13) ex parcis quibusdam additamentis (Vitae prosaicae) concludi licere censet Thiofrido etiam Scoti illius opus non incognitum fuisse. Idem vir doctus docet eum etiam Bedae Ecclesiastica historia Anglorum usum esse et in eis, quae cap. XXII Vitae pros. de Pippini gestis narrentur, Reginonis chronicon, porro cap. XXIII Vitam sancti Bonifatii a Willebaldo, cap. XXIX (Vitae pros.) Vitam sancti Willehadi ab Anskario scriptam et cap. XXX Vitam quandam sanctae Amalbergae ad ampliandam narrationem adhibuisse, cap. autem XII (Vitae pros.) codicem antiquum traditionum excussisse. In ultimis autem capitibus (XXXI—XXXVI) eidem Weilando videtur ea, quae in monasterio scriptis vel traditione memoriae conservabantur quaeque ipse vidit, audivit vel egit, litteris mandavisse. Hactenus de fontibus.

De Thiofridi autem genere dicendi disputanti quamvis distinguendum sit inter ea, quae pedestri

sermone conscripsit, et versus eius, tamen non pauca offendunt, quae his cum illis communia sint. Hoc in numero referenda est et nimia verborum graecorum affectatio — occurrunt enim in Vita metrica plus ducenta diversa — et consuetudo eius orationem multis scripturae sacrae et scriptorum antiquorum flosculis adornandi. Verum cum oratio eius soluta enuntiatis prolixissimis et intolerabili verborum tumore nauseam moveat legentibus, versus eius non solum his vitiis fere omnino carent, sed vel, dum absurdum illum vocabulorum graecorum abusum auctori ignoscas, non sine elegantia quadam et venustate profluunt. Inter eas autem dictionis proprietates, quas in deliciis habet Thiofridus in Vita metrica, duae praeter ceteras conspicuae: primum quod verbum, idque saepissime substantivum, in versu antecedenti positum initio insequentis versus addita accuratiore definitione repetit exemplum secutus Vergilii aliorumque poetarum romanorum, deinde quod vocabula ex eadem radice oriunda, saepe etiam similiter sonantia, in eodem versu ita ponit, ut sibi quodammodo respondeant et communi quodam vinculo iungantur. Atque de hac re infra in re metrica perlustranda pluribus verbis agetur, illius autem exempla haec sunt:

I 18 sqq. . . . . *solem* peperere Britanni,
Solem Wilbrordum, qui comit *lumine* mundum,
Lumine caelesti, divini spermate verbi.

I 210 sq. . . . . delegit in ordine *stellas*
Stellas signiferi praestantes sidera caeli.

Eodem modo repetita habes I 229 sq. *pondera* 281 sq. *coetu* 285 sq. *te* 308 sq. *prospicit* 317 sq. *munus* 327 sq. *igni* 329 sq. *ligna* 468 sq. *pneumate* 505 sq. *summi* 511 sq. *sedes* II 4 sq. *grex* 16 sq. *tempus* 154 sq. *anguis* 225 sq. *selus* 304 sq. *limite* 561 sq. *agnum* 642 sq. *omne* 659 sq. *sol* 711 sq. *dux* 739 sq. *lex* 741 sq. *pernox* III 9 sq. *lumen* 230 sq. *vascula* IV 140 sq. *arae* 189 sq. *agmen*

334 sq. *gens* 350 sq. *signo*. — Non tam dictionis, quam orationis est illud stili genus, quod narrationis, ut ita dicam, filum non raro interrumpit digressionibus, quas aliquotiens formula reditus ad propositum sequitur. Sic I 70—72 de Willibrordi nomine tres versus inserit, I 156—192 de regula monachica agit, I 431—461 de portis somniorum eburnea et cornea, II 28—36 de nomine Ongendus, II 125—137 de iudicii divini severitate, II 181—202 de ira cohercenda, II 649—680 de stemmate Pippinorum, III 21—45 de prioribus Vitae Willibrordi scriptoribus, III 81—94 de miraculo ab Augustino relato, III 162—222 de monachorum nomine et officiis praemissa admonitione, ne furtum committerent, III 274—281 de corruptis sacerdotum moribus, IV 33—38 de cordis humani perversitate, IV 99—102 de fluxibus corporis humani. Quae digressiones cum ex parte ita comparatae sint, ut admonitiones et cogitationes contineant, haud exigua pars earum auctori occasionem dat doctrinae suae ostentandae. Et multiplici eum instructum fuisse doctrina cum ceteri eius libri, tum potissimum Vita metrica ostendit. Qua de causa non alienum videtur a proposito nostro expedire, quibus studiis abbas Epternacensis imbutus fuerit.

Atque eum ut virum monasticum scripturam sacram penitus cognitam habuisse, non est, quod miremur. Unde fit, ut permultas res aut in Vetere aut in Novo Testamento narratas intexat carmini suo et sententias laudet et verbis in Vulgata interpretatione obviis utatur. Inter scriptores ecclesiasticos eum Augustinum cognovisse ex narratiuncula III 81 sqq. apparet, quam ex libro Augustini de civitate Dei XXII 8 sub fin. desumpsit, operae autem Hieronymi quaestionibus in Genesin navatae indicio sunt verba hebraica *is* et *issa* (I 59). Multo autem maiorem, quam in patrum ecclesiasticorum operibus, operam collocasse videtur

in poetarum aliorumque scriptorum latinorum libris: id quod non solum frequenti imitatione eorum, sed etiam verbis eorum aut nihil aut paullulum mutatis in textum Vitae metricae receptis proditur. Horum omnium latissime patet Vergilii, Lucani, Horatii imitatio, parcius, sed ita, ut dubitare non liceat, Iuvenalem, Persium, Sedulium sequitur, imitationis Ovidianae nonnulla quidem vestigia offendunt, nec vero ea tam aperta, ut ad eum de consilio se applicasse verisimile sit. Servii commentarium in Vergil. Aen. quin ante oculos habuerit I 460, Martianum Capellam compluribus, Sallustium, Iustinum, Boethium, Frontínum gromaticum singulis locis, dubitari omnino non potest. Aliorum etiam scriptorum, ut Ciceronis, Silii Italici, Ausonii, loci interdum animo eius obversati esse videntur. Graecos scriptores sua lectione ipsos cognitos habuerit necne, quamvis multa verba graeca versibus suis inseruerit et Homeri Iliadis et Odysseae mentionem faciat, disceptare equidem non ausim: nec vero negari poterit eum aliqua tamen scientia linguae graecae instructum fuisse. Huc non facit, quod proverbium graecum *ὄνος λύρας* laudat (II 474), quippe quod ex Martiano Capella discere potuerit et meo quidem iudicio didicerit, minus etiam permagnus numerus verborum graecorum, quibus carmen suum exornavit, cum pleraque eorum apud scriptores latinos, ut puta Iuvenalem, reperiantur: sed tamen nonnulla verba graeca in libris latinis non extantia apud Thiofridum offendunt, quae unde haurire potuerit nisi aut ex viva voce graece scientium aut ex scriptis graecis, non intellego. Quid quod *noys* et *stayros* scribit verbis graecis *νοῦς* et *σταυρός* ad litteram redditis? Quid quod in vocabulis, quae sunt *mathetes*, *paracletus*, *anachoreta*, *hegumenus* codicum scriptura *mathytes*, *paraclytus*, *anachorita*, *ygumenus* pronuntiationem illam Graecorum recentiorum, quae itacismus vocatur, prodit, cum in aliis plerisque, velut *allegoria*, *athleta*, *mathesis*,

ephebus, consueta veteribus Graecis et Latinis pronuntiatio optineat? His igitur vestigiis quamvis tenuibus Thiofridum graecae linguae non omnino ignarum fuisse patet, lectionis autem graecae apud eum specimina indagare potui nulla. Sed vereor, ne iusto longior fuerim in hac re explananda; quamobrem ad eam partem propositi mei transeo, quae est de Thiofridi re metrica.

Conscripta est Vita Willibrordi metrica versibus heroicis atque eis, qui vocantur, leoninis. Hos ita esse comparatos, ut totius versus vox finalis et prioris partis vox extrema sint homoeoteleutae, sive, ut recentiore quodam termino utar, *rimo* coniunctae, nemo est qui nesciat. Sed cum scriptorum medii aevi, qui quidem carmina latina pangentes hexametro dactylico utantur, plerique rimos disyllabos adhibeant, apud Thiofridum tales versus minime quidem desunt, sed tamen longe plurimi versus singularum syllabarum rimis instructi sunt. Neque raro fit, ut rimi, qui vocantur, non sint puri, sed pro eis illud concentus genus locum habeat, quod *assonantiae* nomine significari solet. Atque cum ad illa duo homoeoteleutorum genera priora illustranda exemplis non opus sit, paucos afferam versus, in quibus pro rimo puro assonantia optinet. Igitur I 283 homoeoteleutorum munere funguntur *acclamatum* et *pontificatu*, I 372 *maculas* et *Adam*, I 400 *eum* et *comitatu*, I 509 *exultarent* et *veniret*. Tales versus inter plus duo milia, e quibus totum carmen constat, circiter septuaginta inveniuntur.

Sedes prioris homoeoteleuti non certa est, sed tamen plerumque congruit cum caesura penthemimeri, multo rarius cum hephthemimeri (I 65. 122. 133. 141. 149. 328. 423. 466. II 10. 28. 45. 329. 336. 374. 375. 474. 591. 592. III 80. 100. 236. IV 13. 200. 305. 306. 324. 346) vel cum trochaica (II 746. III 85) vel cum trithemimeri (I 427. II 148. IV 362). Nonnunquam etiam prius homoeoteleuton

locum habet in fine pedis tertii, ita ut versus in duas pares partes dissecetur (I 38. 338. 359. 384. 405. 439. II 61. 174. 421. 755. III 33. 180. 201. IV 278), vel, quod mirere, in fine pedis alterius (I 159. 265. 285 accedente in hoc versu rimo post quartum pedem II 151. 262. 339. III 179). Aliis locis atque his, quos diximus, homoeoteleuton rarissime ponitur; extat autem ter in alterius pedis thesi priore (II 36. 140. III 284), semel in quarti pedis thesi priore (I 512), semel in quinta arsi (II 381). In eorum versuum, quorum prius homoeoteleuton non congruit cum penthemimeri, nonnullis evenit, ut solitis duobus rimis accedat tertius, quo illi quodammodo firmentur et fulciantur. Affero exempli gratia II 10 *Angelicam non humanam ducens homo vitam*, II 374. 375 *Effusus velut infusus fluit inde refusus. Ebiberant et transierant hymnumque canebant.* Praeterea conferantur versus II 45. 329. 336. III 236. IV 306. I 338. 359. 405. 439. II 408. 421. 755. Carent homoeoteleutis versus Horatiani III 204—207.

Caesurarum frequentissima semiquinaria. Eam, quantumvis in eodem versu concurrat hephthemimeres, principalem esse censebimus in omnibus eis versibus, in quibus syllaba homoeoteleuta in tertia arsi posita est.

Praeter semiquinariam saepissime occurrit semiseptenaria cum semiternaria coniuncta. Eius exempla haece: I 285. 328. 338. 359. 427. 439. II 10. 28. 45. 148. 329. 336. 340. 374. 375. 474. 591. 592. III 80. 100. 236. IV 13. 200. 305. 346. 362.

Eadem cum penthemimeri coniuncta locum habet (omissis eis versibus, quorum prius homoeoteleuton congruit cum penthemineri): I 65. 122. 144. 149. IV 324.

Sola hephthemimeres quinquies invenitur: I 133. 405. 423. 466. IV 306.

Sola semiternaria instructi sunt hi versus I 159. 512. II 381. 755. III 33. 179.

Trochaicae cum semiternaria coniunctae unum exemplum III 85, nec plura trochaicae solius II 746.

Iusta caesura caret versus III 284.

Brevius egissem de caesura, nisi nuper in censura libri G. Fraccaroli, cui titulus est 'Saggio sopra la genesi della metrica classica', a G. Stierio scripta (in Philol. Rundschau 1882 p. 817—821) legissem Fraccarolium contendere caesuram semiseptenariam aevo medio prorsus evanescere: in Thiofridi autem carmine, ut vides, sat multi versus ea caesura instructi sunt.

In subtiliores leges, quibus astricti sunt optimae aetatis poetae latini, inquirere in Thiofrido nostro vix licitum. Notanda tamen haec: *Nusquam Thiofridus hiatum admittit, nusquam elisionem, nusquam versum spondiacum.* Nam I 401 non est pronuntiandum *don' ĭĕrarchae*, sed *dona jĕrarchae*, neque IV 86 *Popp' ĭĕrarcham*, sed *Poppo jĕrarcham*.

Prosodiae normas cum in universum servet auctor, tamen in verbis graecis aliisque non latinis saepissime falsa utitur prosodia, sed ita, ut in singulis quibusdam vocabulis plerumque sibi constet; velut ubique in *ecclesia* et *mysterium* eisque, quae inde descendunt, secundam syllabam corripit, in *coenobita* eandem producit, alia similia. In verbis latinis falsa pronuntiatio non ita frequenter occurrit et in his quoque certa quaedam regula observatur. Sic, ut exemplis utar, vox, quae est *cor*, non solum in arsi (I 444. 496. II 38. IV 281), sed vel in thesi (II 225. III 356. IV 33) producitur eodemque modo *fel* bis in thesi I 180. II 475; sic in verbo *copulandi* prima syllaba semper corripitur II 210. 468. III 374, in *delubrum* paenultima II 132. 261, in *foris* ultima I 326. II 619; contra in *adamantinus* bis paenultima producitur II 38. IV 281. Praeterea singulis locis leguntur I 168 *tĕmĕti* pro *tēmēti* (cum iusta prosodia usurpata sit II 514), I 126 *prosŭpia*,

I 405 *bŏbus*, II 534 *Mŏsella*, III 26 *dēcūrio*, II 60 *impedĭmentum*, II 675 *quăděrăgeno*, III 354, modo integra sit lectio, *coniūgi*, et si qua forte me fugerunt. Commemorandum denique praepositionem inseparabilem *re* ante *sc* vel *st* corripi: II 54 *rĕstitit*, II 417 *rĕsciat*, II 571 *rĕstitutae*, II 582 *rĕscivit*. Similiter III 203 in voce *tetrastichon* antepaenultima correpta est.

Non ita raro breves syllabae arseos vi producuntur, plerumque accedente caesura penthemimeri. Quattuor autem earum productionum genera distinguenda sunt 1) priore vocabulo in brevem vocalem exeunte, altero a duabus consonis incipiente: II 41. III 121. 2) priore vocabulo in consonantem exeunte, altero a littera *h* incipiente, unde positio efficitur, ut apud seriores poetas latinos: I 49. 395. II 11. 435. 703. III 174. IV 16. 35. 142. 3) priore vocabulo in consonantem exeunte, altero incipiente a vocali: I 132. 153. II 214. 462. 736. (Vocis *cor* productiones, quae supra commemoratae sunt, hoc loco omisimus.) 4) priore vocabulo in brevem vocalem exeunte, altero incipiente ab una consona: I 321. 383. 483. II 338. 437. IV 231.

Synizesis ter adhibita est in nomine *Nereus*: II 291 *Nereum*. IV 41. 348 *Nerei*.

Allitterationis, quam hodie vocamus, tam frequens est usus, ut dubitari nequeat, quin auctor de consilio eam adhibuerit imitatus, ni fallor, consuetudinem a poetis illius aetatis germanicis observatam. Huius artificii non nisi pauca sed splendida exempla afferemus, quibus, cuius intersit, facile plus sescenta alia addere possit. Extat igitur

III 76 *Sana terit terram non tanto tempore tactam.*
III 86 *Mentem maternam mutans imitata novercam.*
III 116 *Sic lupus inter oves latuit latro spirituales.*
III 127 *Ligna domus, lapides consumat, limina, postes.*
III 169 *Sum mundo, mundus mihi mortuus et crucifixus.*
III 227 *Grex dulcis nati dat dulci chroma parenti.*

III 230 sq. *Nil habuit* **v***acuus praeter duo* **v***ascula promus*
V*ascula de* **v***irgis lentis conserta* **s***alignis.*
III 245 sqq. **P***atris* **p***atroni colitis sollemnia nostri is.*
P*ensum solvistis*, **p***lenas epulas meruist*
Sed nil est **v***illi*, **v***ix possunt guttura tingis*
N*on desperetis*, **n***on* **m***urmure vos* **m***aculetisi*

Omnia haec exempla omissis levioribus plurimis ex una eademque parte carminis desumpta sunt, nec minus refertae reliquae partes. Ad hoc studium Thiofridi labdacismum, rhotacismum, mytacismum aliaque eiusdem generis cumulandi etiam illud referendum est, quod saepissime in eisdem versibus vocabula ex eadem radice oriunda sibi opponuntur (ut III 123 *novit noscere* 131 *gravi graviori* 140 *Horruit horrendum* 145 *tristis cum tristi* 169 *mundo mundus* aliaque innumera) saepe etiam verba similiter sonantia iunguntur (ut I 228 *portat — portum*, I 270 *oves — ovantes*, II 713 *sumeret — sumen*, 784 *sensi — sentinam*, alia).

Apparet igitur Thiofridum in Vita metrica componenda artem satis mirabilem exercuisse, cum verba carminis triplici vinculo, numeris antiquis, homoeoteleutis, allitterationibus, ligaret ita, ut oratio vere vincta evaderet. Quae ars etiamsi nostris auribus minus probatur, illud profecto concedendum erit vix quemquam inter Thiofridi aequales extitisse, qui eum arte metrica non modo superaret, sed ne aequaret quidem.

Extremo loco horum prolegomenon nobis proposuimus de consilio et instituto huius editionis exponere.

Post ea, quae supra de codicis Gothani pretio et auctoritate disseruimus, vix est, quod expressis verbis dicamus nos in textu Vitae constituendo hoc libro fundamento usos esse unico et solo. Nam ut omittamus aliquot calami lapsus, quibus, ut nullus utique codex, ita ne hic quidem caret; errores manifesti in eo non inveniuntur nisi perpauci. Atque

cum illorum in numero habendum sit, quod I 513 *Viltalburg* pro *Viltaburg*, III 359 *invinctus* pro *invictus*, IV 220 *Wilbrordu* pro *Wilbrordo* scriptum est, his annumerandae videntur hae lectiones I 28 *pigris* 449 *erasum* II 102 *currus* 246 *cultus* 344 *petram* 440 *fulcit* 600 *quos* 764 *abortum* III 38 *tricae* 105 *semate* IV 7 *laeta* 256 *sapori*: quae quidem, paucissimas si excipias, etiam in cod. Trev. extant. Tam bonum igitur librum nacto non tam id mihi agendum erat, ut verba codicis coniecturis emendare, quam ut interpretando stabilire conarer. Hoc loco cum facere non possim, quin me plerisque locis veram lectionem iam tum, cum sola praesto esset editio Deckeriana necdum collatio codicis Gothani in manus meas pervenisset, invenisse asseverem, tantum tamen abest, ut splendidis inventis acuminis ingenii ostentandi occasionem praereptam esse doleam, ut satis habeam coniecturas meas tantum non omnes codicis Gothani memoria confirmatas vidisse tamque bonum subsidium ad textum recensendum mihi suppetiise gaudeam.

Tota igitur recensione nostra ex codice Gothano pendente tamen in una re secundaria etiam Treverensi aliquid debeo. Ascripsit enim huius margini nescioquis numeros capitum Vitae prosaicae. Qui cum ostendant Vitam metricam fere omnino ad ordinem Vitae prosaicae, omissis tamen duobus capitulis, compositam esse doceantque, quae particulae huius quibus partibus illius respondeant, e re duxi eos etiam huius editionis margini appingere et commentarium ad capitum Vitae prosaicae dispositionem conformare. Hi igitur numeri cum in margine sinistro additi sint, in dextro foliorum et paginarum numeros, qui sunt codicis Gothani, ascribendos curavi.

Quattuor librorum, in quos carmen suum divisit auctor, versus in unoquoque libro separatim numeravi prologo, ut in antiquorum poetarum carminibus

fieri assolet, quamvis sui iuris sit, continuis numeris cum primo libro coniuncto.

In commentario concinnando id secutus sum propositum, ut et res explicatione egentes et voces remotiores et structuras difficiliores illustrarem, imprimis autem locos scripturae sacrae, ad quos Thiofridi verba respiciunt, scriptorumque veterum latinorum, quos imitatur quorumque verba in usum suum vertit, diligenter collectos ascriberem. Nec vero omnes quos laudavi, ita comparati sunt loci, ut exempla haberi velint: non pauci etiam, interpretationi ut servirent, allati sunt. Atque hos ab illis ita distinguere studui, ut eis locis, qui propter similitudinem quandam vel interpretandi gratia a me ascripti sunt, notulam *cf.* praefigerem, eos autem, qui exemplorum in modum scriptoris menti obversati mihi videntur, sine ea nota ponerem.

Locos ex Alcuini Vita Willibrordi, Thiofridi Vita Willibrordi prosaica, Theoderici Chronico Epternacensi, aliis huc pertinentibus libris ductos tum exscripsi, cum ad rerum sive verborum explanationem aliquid conferre mihi videbantur: cuius operae eos mihi gratiam habituros esse spero, quibus libri illi non sunt ad manus.

De indicum adiectorum utilitate verba facere superfluum mihi videtur.

Superest, ut ostendam, quemadmodum in editione mea rem orthographicam instituendam censuerim. Namque non dubito, quin futuri sint, qui mirentur me non usitatam illam medio aevo orthographiam adhibuisse, sed eam ad eas normas revocasse, quae apud veteres valuerint. Qui si pervoluto commentario meo intellexerint me earum rationum, quas sequi solent qui in edendis medio aevo scriptis versantur, haudquaquam ignarum esse potuisse, suspicabuntur, ni fallor, certis quibusdam causis perductum me ab illorum usu et more recedendum statuisse. Illi enim, quorum, cum viris historicis

historiae fontes aperiant, intersit, ut etiam in singulorum verborum litteris fides historica et aetatis, ut verbo recentiore utar, signatura repraesentetur, ne meo quidem iudicio perverse agunt, quippe quorum opera fontium instar haberi velint: me autem, qui Vitam Willibrordi metricam non tam historicorum, quam philologorum in usum editurus sim, eisdem legibus astrictum esse facere non possum, quin non agnoscam. Sed ne quis putet me fidem historicam in reddendis codicum litteris parvi pendere, in apparatu critico omnes scripturae discrepantias ne minimis quidem omissis accurate ascribendas duxi simul eis satisfacturus, qui talibus sordibus, quales sunt '*dampnare, discaedere, pena, hostia rehni* pro *ostia Rheni, ylaris, tocius, aecclesia, mendatia*', et similibus nimio plus delectentur, in textum autem, quem ceteris postpositis ad facile legendum et celeriter perspiciendum aptum reddere mihi proposueram, ut talia verborum monstra reciperem, a me impetrare non potui. Paucis tamen locis singularibus ab instituto meo optimam scripturam (orthographicam) restituendi recedere coactus sum. Ac primum quidem III 194 iusta scriptura *Sapphira* numeris renuentibus spernenda erat. Deinde I 343. II 684 *noys* et II 562 *stayros* retinenda putavi, et quod illud auctor disyllabum posuit et quod in utroque voces graecas procul dubio ad litteram repraesentaturus erat. Tum II 407. IV 101 non *umectavit*, *umor* dedi, sed *humectavit*, *humor*, quippe cum illud cum *humus*, hoc cum *hos* eiusdem versus allitterationis vinculo coniunctum sit. Eadem causa prohibitus sum III 319 pro *eiulat* rectius *heiulat* exhibere. Denique nomen *Hierusalem* nolui per *Ierusalem* reddere, cum comparata voce *hierarcha* appareat et hic et illic litteras *hi* idem valere quod *i* consonam. Quamobrem aut utrimque scribendum erat *ier-*, aut, ne similia fierent dissimilia, in alterutro vocabulo scriptura medio aevo recepta servanda.

Vides, vir critice, me consulto egisse, cum textum Vitae meis rationibus constituerem, nec tamen in animo est te dissentientem ab eo, quod tu verum iudicas, abalienare et ad meas partes pertrahere: immo, dum mihi meam sententiam tenere permittas, tu tuam tibi habeto.

Scripsi Nordae mense Decembri anni 1882.

THIOFRIDI

VITA WILLIBRORDI METRICA.

THIOFRIDI

VITA WILLIBRORDI METRICA.

G = codex Gothanus 70 saec. XII. ineunt.
T = codicis Treverensis LXXXIV saec. XII. vel XIII. editio Deckeriana a. 1881.

I.

Prologus in vitam Wilbrordi crusmate dignam. f. 57r

Non salit ingenii mihi proflua vena profundi
Nec me ventosae rapit, inflat gloria famae,
Sed Carli prudens Alcwin movet hyperaspistes,
5 Carmine qui nostri replicat sacra gesta patroni,
Sed non attendit, quae syllaba longa, brevis sit,
Et ceu Lucilius, dum profluit, est lutulentus:
Invigilans curis aulae magis imperialis
Cogit inire modos me rauca fauce sonoros.
10 Non superimpositam sibi laudis demo coronam,
Sed potius vereor, ne cuncta neget mihi livor,
Ne mordax aspis, ne Lernae mordeat anguis.
Fido tamen, vestris si me defenditis armis,
Virus vipereum tero, calco super basiliscum.
15 Spiritus aspiret summus, mea carbasa perflet,
Transvehat in portum sine tempestate quietum.

I. Incipit heroicis Wilbrordi vita camenis. f. 57v
Quadrifidi cosmi solem peperere Britanni,
Solem Wilbrordum, qui comit lumine mundum, f. 58r
20 Lumine caelesti, divini spermate verbi.
Hic prius est notus mundo, quam conditus, ortus,
Ante revelatus, quam carnis lemmata nactus.
Nam tantae prolis mater, flos nobilitatis,

Varia lectio. 2 perflua *T* 4 Alcuuin *T* yperaspistes *GT* 9 sonoras *T* 10 super impositam *GT* 14 basilyscum *GT* 20 celesti *GT* 21 editus *T*

Femina summorum titulis insignis avorum,
25 Wilgislo digno primati iuncta marito
Non aestu carnis, sed causa posteritatis,
Dum vix in somnum laxaret soma tenellum,
Nox subvecta nigris cum circuit aera bigis,
Ivit in aethereos vigilanti pectore cyclos,
30 Inspexit gelidae quasi nasci cornua lunae,
Crescere, curvari plenoque sub orbe rotari
Ac per zodiaci contermina zodia volvi,
In sua praecipiti cursu praecordia labi
Seque rubi typici flammis insontibus uri.
35 Nec mora, visceribus calidis exaestuat alvus,
Concaluit pectus, quatit aeger anhelitus artus,
Sudoris fluidi fluxerunt undique rivi.
Nictans erexit se, lecto proripuit se
Non concussa minus, quam qui tonitrus fugit ictus.
40 Cumque sub exorto rutilans Leucothea Phoebo
Proderet Ambronum scelus exitiale, cruentum,
Pandit horama viro cuidam virtute rotundo,
Ac licitos lepidi complexus fassa mariti
Nondum formati didicit praeconia nati
45 Ore prophetali digesta sub ordine tali:
'Phoebes chrysocomae globus in se plenus et in te
Filius est lucis, paries quem filia lucis. f. 58v
Solis iustitiae iubar hic sol exeret in se,
Excellet homines ut stellas luna minores.
50 Noctis et ut tenebras abigit Phoebeia lampas,
Sic verbi radiis excludet nubila mentis.
Perdius et pernox operam dabit, ut pereat nox,
Nox psyches aciem fuscans caligine technae.
Asperget cordis campos aspergine roris,
55 Roris paracleti, quo mens alitur microcosmi,

25 Wilgisilo *T* 28 nigris] pigris *GT* 33 precipiti *GT* precordia *G* 36 eger *G* 37 fluidi] *an* gelidi? 40 Phaebo *G* Phebo *T* 41 exiciale *GT* 42 oroma *GT* 44 preconia *GT* 46 Phaebes *G* Phebes *T* crysocomae *GT* 47 quem paries *T* 50 Noctes *T* Phebeia *GT* 51 excludit *T* 53 tegnae *GT* 55 paraclyti *GT* mycro-

Fecundabit agros erroris caumate siccos,
Ut sata sicca die fecundat roscida Phoebe.'
II. Tantis responsis ex vatis pectore promptis
'Issa' — quod exit ab 'is' — rediit spe praescia prolis,
60 Prolis, quam mundi gessit paritura saluti.
Explevit numerum genesi ratione statutum
Ac peperit subolem, cosmi totius honorem.
Inmarcescibilem produxit uirgula florem,
Solem praeclarum suspendit ad ubera natum.
65 Exultavit ovans, ut ovat quicumque triumphat,
Non iam pressurae meminit carnis geniturae,
In gremio fovit, cuius praeconia novit,
'Pane voluntatis' sumptum, non 'pane doloris'.
Nomen Wilbrordo dat vitae fonte renato.
70 Nam cum teutonicae sit sic idioma loquelae,
Prima voluntatem, sonat ultima syllaba panem,
Littera si cedat canis et paenultima linquat.
Mel nectarque suum vitae nutrivit alumnum;
Per carnis speculum vidit redimicula morum,
75 Ex quibus ornandus succrevit pusio tantus, f. 59r
Pulchra qui facie depinxit utrumque parentem.
Exin consilio cum coniuge participato,
Anna velut vatem domino vovit Samuelem,
Sic puerum puero vovit de virgine nato,
80 Qui de lacte manum mittens super aspidis antrum
Comminuit vectem genus humanum ferientem.
Vovit uterque ratum gratumque parens holocaustum,
Ac, ne longa pium traheret dilatio votum,
Dulcem filiolum pater obtulit erudiendum
85 Patribus egregiis Ripensibus Israelitis,

cosmi *T* mychrocosmi *G* 56 faecundabit *G* 57 faecundat *G* Phebe *T* Phebae *G* 59 prescia *GT* 61 genesy *GT* racione *G* 62 sobolem *G* tocius *GT* 64 preclarum *GT* 65 orans *T* orat quicunque *T* 67 preconia *GT* 69 forte *T* 70 theutonicae *G* -ce *T* ydioma *GT* 71 sillaba *G* 72 Litera *T* caedat *G* penultima *GT* 78 Samuhelem *G* 82 ratum] ratumque *T* 85 Rhipensibus Israhelitis *GT*

Disceret ut teneris normam virtutis in annis
Ac nil audiret, nil praeter honesta videret.
III. Nec patris oblata mens torpuit indole tanta,
Sed speculativae sitiens theoremata vitae
90 Psyches speluncae decrevit ad ostia stare,
Flaret ut Heliae tenuis sibi sibilus aurae
Ac degustata vegetus dulcedine summa
Carnis in anfractu sine carnis viveret actu.
Exutus tunicam, qua se vetus induit Adam,
95 Adae veste novi, se vellere vestiit agni.
Praecluis Andreae simplex ovis intrat ovile,
Fecundis ovibus fecundior est sociatus.
Populeas virgas — sanctorum dogmata, vitas —
Scripturae per aquas a Iacob arte locatas,
100 In quibus historiae color est et tropologiae,
Crebrius intuitus concepit imagine fetus,
Fetus vitales, parit actus spirituales.
Dedidicit mundum, didicit cor comerem undum, f. 59v
Mente salutares theoriae traxit odores.
105 Sed velut esuriens satiari lautius ardens
Ex coenobita prodit novus anachoreta,
Prodiit aerias doctus superare phalangas,
Pugnavit, vicit, sibi se mundumque subegit.
Secretus latuit, sed in arce latere nequivit:
110 Non latet arx urbis, non urbs in vertice montis.
Proditus est signis mirabilibusque stupendis,
Est celebri fama procerum vulgatus in aula.
Practica vita redit sibi, non theoretica cedit,
Et, quia principibus placuit primaria virtus,
115 Traditione rata data sunt sibi praedia lata,
Quae iuxta mare sunt, quae promunturia cingunt.

87 preter *G* 89 speculative *T* siciens *G T* 90 Psyces *G* 93 amfractu *G* 94 tonicam *G* 96 Precluis *GT* 97 Faecundis — faecundior *G* 100 hystoriae *G T* 101 concaepit — faetus *G* 102 faetus *G* 104 theoryae *T* theorye *G* 105 saciari laucius *G T* 106 caenobita *G* cen. *T* anachorita *G* 113 cedit] caedit *G* 115 predia *T* 116 pro munctoria *G* promontoria *T*

Struxit ovile gregis summi pecus opilionis,
Pavit oves fetas et in agni sanguine lotas.
Maturus senio, cute laxa, vertice cano,
Militis emeriti suspirans munere fungi
Transiit ex caeno, de carnis carcere caeco,
Ad faciem facie vidit quem mente sitivit.
Pergula theoticos tulit artus exanimatos.
IV. Sed quia digressus sum syrmate carminis usus,
Ad diverticulum regressus iter tero coeptum.
Tantae prosapiae Wilbrordus et indolis altae,
Ex aetate tener, Samuel profectibus alter,
Crevit, profecit, puerile puer nihil egit.
Non gestit paribus parvis colludere parvus,
Sed sacris studiis intentus acumine mentis
Floruit uberius ceu cedrus, palma, cypressus. f. 60r
Cumque duas decadas eius dispungeret aetas,
Omne, quod ante laboravit, nihilum reputavit
Atque columbinas, quibus evolet, expetit alas,
Ut longe fugiat, sine mentis turbine vivat.
Ardet abire fuga dulcique recedere terra,
Sed non absque patris consensu spiritualis.
Detegit huic ignem mentis secreta cremantem,
In messem domini coniveat ut proficisci,
Messor ubi rarus, sed fructus frugis opimus.
Implet uterque sinum lacrimis ex corde subortis,
Hic rogat, ille negat, pater obstat, filius instat,
Nec prius absistit, quam patris viscera mollit
Ac deducit eum concors coetus seniorum
Non oculis siccis, sed fletus flumine tinctis:
Oscula, complexus dat amoris fervidus aestus.
Hac aetate uiris effulsit Hibernia claris,
Floruit in studiis, ut Athenae gymnosophistis.
Huc se forma, decus iuvenum dedit alta docendum
Ac didicit logikes, ethicae, physicae rationes,

118 faetas *G* 121 ceno — ceco *T* 125 caeptum *G* ceptum *T* 127 Samuhel *G* 129 parvus] parvis *T* 136 recaedere *G* 144 caetus *G* 148 gymnosophystis *G* 150 phisicae *GT*

Quae duo sint, in quae dialectica dividit 'esse',
Quid genus et species sit et enthymema, soritae,
Quid mathesis, aplanes, quis volvat spiritus orbem.
Flores divinae decerpsit bibliothecae
155 Atque favos ut apes construxit spirituales.
Non viguit toto maior districtio mundo.
Nam coenobitae si cui sub sorte culinae
Deperiit granum cuiusque leguminis unum
Aut duo vel tria, castigatus ab omnibus una f. 60v
160 Paenituit sacri quasi pro ratione peculi
Bis senis psalmis instans in fine synaxis
Adiutus precibus fraternis atque solutus.
In versu mensae qui dicere neglegit 'amen',
Ac si mente vagus scuticae sex sustinet ictus.
165 Est totidem passus, qui tussis rheumate tactus
In psalmodia non psallit voce sonora.
Aeque quisque luit, qui dixerit esse suum quid.
Si guttas temeti sub cura perdit inerti,
Damnum taxatur, reus acrius exagitatur:
170 Non hemina sibi partitur debita vini,
Sed de fonte bibit, dum, quantum perdidit, insit.
Si quis cultello mensam pertundit acuto,
Vibices saevas patitur pro crimine denas.
Et qui dormit, ubi mulier dat membra sopori,
175 Nec flammam metuit, consueta diaria perdit:
Arto pane, brevi lympha permittitur uti.
Sed quod multatur, qui casu praecipitatur
Ponte vel ex kymba vel equo feriente ruina,
Quid sit, non novi, referens incredulus odi.
180 Qui fel invidiae fert, ardet ac ignibus irae,
Ni mox paeniteat, nisi cordis vulnera prodat,
Quot soles siluit, totidem ieiunia solvit
Pane luens et aqua, quod mente gravatur amara.
At quinquagenis purgatur pelle flagellis,

152 sorytae *GT* 153 mathesys *GT* 156 riguit *T* *quod placet* 157 caenobitae *G* 160 Penituit *T* 161 Bissenis *GT* 163 Inversu *G* 165 reumate *GT* 170 emina *GT* 173 sevas *T* 177 precipitatur *GT* 181 peniteat *T*

185 Qui non exequitur citius quodcunque iubetur,
Qui mythos iterat, qui mendae frivola tractat,
Qui non summisse quid proloquitur nec honeste, f. 61r
Qui dat responsum confusa mente protervum,
Qui caput inducto tegit intrans sacra cucullo
190 Et qui manducat quicquam, si non prius orat.
Cui vero verbum cadit expers frugis, ineptum,
Aut bis sex flagris luit aut geminis silet horis.
His athleta scholis studuit ter quattuor annis,
Quot fuit aestatum patris sapientia, verbum,
195 Dum se symmystis iungens in lege peritis
Quae docuit didicit, quasi nescius omnia novit.
V. Cumque vir effectus totus teres atque rotundus
Trigenos ac tres solares volveret orbes, —
Est aetate quota Christi Mors morte perempta—
200 Progenies Abrahae peregrinantis patriarchae
Extorris patrios invisere noluit agros,
Maluit in populis ignobilis esse remotis
Ac peregrinari legisque tomos meditari.
Pectore pervigili transcurrit climata cosmi,
205 Quorsum divertat, quo verbi spermata spargat.
Ardua volventi sedit sententia menti
Arctoo gelidas invisere frigore terras.
Sed quod concepit mens, quod peperit, patefecit,
Non sociis tacuit, quos ignis pneumatis ussit,
210 Atque quater ternas delegit in ordine stellas,
Stellas signiferi praestantes sidera caeli,
Cum quibus idolii tenebras subduceret orbi.
Et sic discernens nubes ventosque ferentes
Imposuit navi comites sub munere nauli;
215 Sed quia non nisi se quicquam potuit dare pro se, f. 61v
Non est admissus: distendit carbasa ventus,
Litus deseritur, prono ratis aequore fertur,

185 cicius *GT* 193 ahtleta *G* scolis — quatuor *GT* 195 symmistis *GT* 200 Habrahae *GT* 208 thomos *GT* 204 clymata *GT* 208 *an post v.* 209 *ponendus?* concaepit *G* 211 signifiri *G* prestantes sydera *GT* celi *T* 214 inposuit *G* 215 quidquam *T*

Prosequitur lacrimis, oculus, mens haeret in undis.
Dum nusquam sociae cernit tabulata carinae,
220 Stat; quid agat de se, quo vertat, cogitat in se.
Sed, quid contigerit, si prompsero, quis mihi credit?
Credit posteritas, quod tradit avita vetustas.
Instar turicremae saxum videt eminus arae
Advolvitque mari, celer insiliit quasi navi.
225 Navigat, unda levat molem nec ferre refutat,
Evehit, haut mergit, naturae munia perdit:
Impositum pondus gestat sine pondere pontus,
Portat in optatum sine kymba, remige portum.
Sustentat liquidi duo pondera vis elementi,
230 Pondera, quis unam fixit natura ruinam.
Non mirabilius pede calcaret maris aestus.
Exiit in litus, signo stupet hospita tellus,
Indicio saxum secus est altare locatum.
Ascensa navi descendit ad ostia Rheni,
235 Traiectum, celebrem Viltorum venit in urbem
Per se dotandam summi sponsi quasi sponsam
Non hoc ingressu, sed posteriore regressu.
Hospes it hic exspes sessurus rector et haeres.
Non arrisit ei tempus, locus aedificandi:
240 Saevit ibi saevi tempestas turbida belli
Rathbodi rabie Fresonum genti dominante.
Arx et prima sui fuit haec urbs curia regni:
Hic vetuit naves solitas transmittere merces, f. 62r
Est iter hac bellis, viget hic gens torva rebellis,
245 Hic in confines suetus transcurrere miles
Praetulit arma togae praedae succensus amore.
Pacis legatus discordi turbine motus
Infidae genti subduxit spermata verbi,
Discessit maestus sine maestitia rediturus.
250 Tendit, ubi latos distendit Francia campos,

218 heret *GT* 221 promsero *GT* 226 haud *T* 228 inoptatum *G* kimba *G* 232 tellas *T* 234 hostia rehni *G* 238 heres *T* 239 edificandi *T* 240 sevit — sevi *T* 245 inconfines *G* 246 Pretulit *GT* predae *GT* 249 mestus — mesticia *GT*

Pippinumque ducem visit dominis dominantem,
Dardaniam prolem, Troianae gentis honorem:
Nam velut historiae produnt chronicaeque vetustae,
Est sortitus avos Anchisae stemmate claros,
255 Aeneadum flores, maris et terrae domitores,
Est ex Anchiso duce progenitus generoso.
VI. Hic vir, virtutis dux, tantae nobilitatis,
Hospite pro tanto plaudit velut hospite Christo,
Se populumque suum sibi subdidit erudiendum.
260 Nec defrudatus spe, mente sed exhilaratus,
Erroris dumos ubi velli vidit acutos
Et glaebas animi proscindi vomere verbi
Frumentumque dei divina per horrea condi,
Pandit symmystis, sua quae sit censio mentis:
265 'Est vir apud nos, qui tamquam sol irradiat nos,
Qui procul a nobis pellit tenebras Acherontis:
Hunc mundi dominae mihi mens est mittere Romae,
Quo sublimetur, antistitio decoretur,
Latius ut plantet, riget, incrementa deus det,
270 Vitae pascat oves per pascua pastor ovantes.
Ni fallor, renuet, humili ratione resistet, f. 62v
Non vult quae volumus, mundo vult esse remotus.
Se sinat evinci, vos, quaeso, studete precari.
Sed mittatur ei citius legatio nostri,
275 Consiliis assit, consultus consulat, ut scit.'
Principis orsa probant symmystae, finiat, orant.
Nec mora, missus abit, Wilbrord in tempore venit;
Angelus ut domini susceptus honore decenti
In procerum medio suggestu sedit in alto,
280 Destillans vitae favus eius fluxit ab ore.
Est in sorte dei coetu delectus ab omni,
Coetu concordi, totius et a duce regni.

253 hystoriae — cronicae *GT* 254 Anchysae stemate *GT* 260 defraudatus *T* exylaratus *GT* 262 glebas *GT* 264 symmistis *GT* 268 antisticio *GT* 269 Lacius *GT* 274 cicius *GT* 276 symmistae *GT* 277 Willbrord *GT* 278 suscaeptus *G* 280 Distillans *GT* 281 caetu *G* cetu *T* 282 Caetu *G* Cetu *T* tocius *G*

Est acclamatum dignum fore pontificatu,
Sed non consensit, quia de se vilia sensit,
285 Parvus apud se, magnus apud te, Christe, sequens te,
Te, qui mortalis tectus galummate carnis
Primatus cathedras ostendisti fugiendas,
Cum secessisses in montem, delituisses,
Ne te, cui soli cessit monarchia mundi,
290 In regem populus sibi deligeret recutitus.
Assecla, Christe, tuus tua per vestigia ductus
Cor non apposuit, sed in haec os dicta resolvit:
'Praecluis o princeps, o primates, decus ingens,
Accensas in me vestras avertite mentes.
295 Deserui patriam patriae caelestis ob aulam,
Non ut ditarer nec in exilio dominarer,
Sed nudus Christum nudum sequerer crucifixum.
Non speculativae didici sublimia vitae,
Corde pavesco tomum virtutum mente notandum, f. 63r
300 Actibus implendum Pauli de pectore ductum,
Praesulibus proprium, catechistis animarum.
Quid tanti cupitis mihi credere culmen honoris?
Non est maius onus, maior non est honor ullus;
Nil gravius menti fontem vitae sitienti,
305 Intolerabilius nihil est, quam ferre tumultus
Ac strepitus hominum, pathicos motus animorum.
Refert pontificis David in Libano sita turris,
Ex cuius specula speculator prospicit alta,
Prospicit, aerias et nuntiat ire phalangas,
310 Prodit, ubi sceleris puteat caenosa mephitis,
Quo virtutis odor spiret, quo vita sit et mors.
Et tanto fasci quod onus valet aequiperari?
Quod tam sublimi quis adaequet culmen honori?
Non est ex terra, sed ab aetheris arce superna,

286 galumnate *G* 289 monarchya *GT* 293 precluis *G* primate *T* 294 *an* advertite? 295 celestis *T* 298 speculative *T* 299 thomum *GT* 301 Presulibus *GT* cathezistis *GT* 303 honos *T* 304 sicienti *GT* 306 pathycos *GT* 307 Lybano *GT* 310 cenosa *T* mephytis *GT*

315 In terris geritur, sed non terrenus habetur,
Non datur hic carni, sed menti spirituali,
Incircumscriptus dat spiritus hunc quasi munus,
Munus praecipuum, pretiosius omnibus unum.
Antistes deus est alter cui caelica mens est,
320 Caelos concludit clavi David atque recludit,
Ingreditur sancta sanctorum mente sacrata,
Textu mirifico decoratur amictibus octo,
Aram contingit, per tintinabula tinnit,
Totus vocalis gerit ornatum deitatis,
325 Officium nulla liquido narrabile lingua.
Non foris egreditur de sacris, ne moriatur,
Intus in altari iugi fomenta dat igni, f. 63v
Igni, quem deus accendi vult corde sub omni,
Ac ne deficiat, moralia ligna ministrat,
330 Ligna patrum monitus et vitae caelibis actus.
Victima dum fertur, quae, qualis lege iubetur,
Pectus, aqualiculus datur illi, dexter et armus,
In grege commisso ne sit sapientior ipso,
Nec sit in adversas robustior aeris alas,
335 Ventrem luxuriae Phinees secet, expiet ense.
Sed quis ad haec dignus, quis idoneus extet et aptus?
Lex non optat eum, qui fert in corpore naevum,
Non caecum, non lippum, non clodum neque gibbum,
Non grandi naso neque torto, nec pede fracto.
340 Est ducis ecclesiae mentis fulgore nitere,
Arceat ut tenebras mortis caligine densas,
Praeniteat longe quibus est praelatus honore.
Incolumi visu noys non lippiat actu,
In fidei norma non claudicet haeresiarcha.
345 Quod redolet, quod olet, gnarus discernere curet,
Mente sit erectus, non carnis pondere pressus.

318 precipuum *G* preciosius *G T* 319 celica *T* 320 Celos *T* 330 celibis *T* 335 Finees *G T* 336 ad hoc *T* 337 nevum *G T* 338 cecum *T* lyppum *G T* neque gybpum *G* non gybpum *T* 339 grandinaso *G* neque pede *T* 340 aecclesiae *G* 342 Preniteat — prelatus *G T* 343 lyppeat *G T* 344 heresyarcha *G T*

Nullus, qui propriae nescit moderamina vitae,
Esse potest vitae iudex et dux alienae.
Solvere qui lintrem metuit, regat unde triremem?
350 Fit per onus gravius gravior sub pondere lapsus.
Hinc igitur, domini, mihi non estote molesti,
Sed provisorem disquirite me potiorem.'
Hoc ubi flumen aquae vivae patris effluit ore,
Dignior est habitus, quia non dignus sibi visus.
355 Dux et primores instant ardentius omnes, f. 64r
Se non excuset nec onus vitale recuset,
Cum sit ob hoc patria longe semotus avita,
Vitam pro vita propriam det ovans aliena.
Quid faceret? quid diceret? hinc amor, hinc timor urget;
360 Hic monet, ut cedat, contra strepit ille, recedat:
Inter utrumque stetit, legis monumenta revolvit.
Lex iubet, ut, siquis persolvit debita carnis
Posteritate carens, si sit sibi nupta superstes,
Conubio stabili sit coniunx eius adelphi,
365 Ne fratris semen pereat, successio, nomen.
Ducere si renuit, rata si sponsalia temnit,
Exspuat in faciem mulier viduata virilem,
Ex eius pedibus dematur calceus unus,
Nudipes ut dictus nullo sit nomine dignus.
370 Est deus effectus de virgine noster adelphus,
Formam, non culpam nostri dum sumpsit ab Adam,
Tergeret ut maculas Adae veteris novus Adam.
Ecclesiam castam desponsavit sibi sponsam,
Sed quasi stirpe carens obiit patris unica proles,
375 Liquit dilectam contectalem viduatam,
Caeligenam prolem dum nondum protulit omnem.
Huic tantae viduae si sponsi frater adesse,
Si iungi nolit, dare cum dotalia possit,
Cum sit praedives, virtutum lucra requirens,
380 Excutitur solea, foedatur in ore saliva,

352 pociorem *GT* 360 caedat — recaedat *G* 364 Connubio — adelfi *GT* 365 fatris *T* 366 tempnit *GT* 370 adelfus *GT* 373 Aecclesiam *G* 376 Celigenam *T* 379 predives *G* 380 faedatur *G* fedatur *T*

Sit quo dedecori, quia noluit esse decori,
Sit reus ante deum de tot lucris animarum,
Quot facile posset lucrari, si studuisset. f. 64v
Virtus non quaerit sua, sed quae sunt aliena.
385 Qui prodesse potest et non vult, insipiens est,
Vivens mortuus est et trunco vilior Hermae.
Non praecidendae praecidit colla columbae,
Nec caput ad tropicas torquet, ceu lex monet, alas,
Dum speculativae sic appetit otia vitae,
390 Activae mores ut neglegat atque labores.
Hoc secum reputans et mentis acumine pensans
Postposuit sibi se, voluit, quod noluit, esse.
Quod requies bona sit, quod terra sit optima, vidit
Non carnis requies nec humus, sed gloria psyches.
395 Supposuit humeros robustus ut Isachar onos
Ad deportandum doctrinae suave tributum.
Paruit, assensit, praesentes exhilaravit,
Est acclamatum, sunt edita munia laudum.
Conventum solvit dux electumque refovit
400 Ac transmisit eum quo condecuit comitatu;
Misit apostolicae sedis sua dona hierarchae —
Sergius huic nomen, servandis gentibus omen,
Summi vir meriti, totius gloria mundi, —
Exsculptum signis solium miris anaglyphis,
405 Hinc bobus, inde leonibus: hinc pius, inde severus
Oeconomos prudens, divina diaria promens.
VII. Hic dum pausaret, tenuis sopor ossa rigaret,
Angelus effulsit, nox eius luce reluxit;
Est affatus eum ceu dulcis amicus amicum:
410 'Omnis naturae me mittit conditor ad te;
Quid velit et per me tibi mandet, mente reconde. f. 65r
Symmystam carum, prius in matrice sacratum,
Per te sacrandum tibi destinat et decorandum.

387 precidendae precidit *GT* 388 cęu *G* 389 speculative *T* ocia *GT* 390 Active *T* negligat *GT* 392 Post posuit *GT* 394 spyches *GT* 397 presentes exylarávit *GT* 401 ierarchae *GT* 403 tocius *GT* 406 Econômos *GT* 409 cęu *G* 412 Symmistam *GT*

Est vitae specular, nulli virtutibus impar,
415 Nil titubes in eo, deus est et regnat in illo.
Cum noctis pullas lux quarta removerit umbras,
Intrabit celsae Mavortia moenia Romae.
Huic assurge, cave dimittas, oscula fige,
In domini digno dominum venerare ministro.
420 Quidquid vult ex te, quidquid petit, expetat ex te.
Nil negites, quod habes, nil huic donare recuses,
Ornatum per te summo sub honore remitte.'
Nox ruit, angelus abscessit, vigilat papa, surgit.
Non pavor ac terror sibi somnum rupit et error,
425 Sudor proruptus non os perfudit et artus,
Non somni physicas dignatur volvere portas,
Non curat, quid eburnea, nec, quid cornea mittat,
Quamvis haec veris sit, at altera pervia falsis,
Non creperum sensit, non cordi scrupulus haesit:
430 Grates divinae pro visu solvit usiae.
Sed monet in portis me stare camena seratis,
Per me tractentur, metrica clavi reserentur,
Nam sunt exstructae physiologica ratione.
Omne latet verum densa caligine tectum,
435 Sed vis hoc animae vult clara luce videre
Itque reditque sibi quasi libera sorte regendi,
Dum sopor illapsus defessos irrigat artus,
Aeterno motu iugique movetu rin actu
Nunc intra, nunc extra, nunc infra, modo supra, f. 65v
440 Naturaeque suae ius servat et exerit in se
Aspicit omnigenas rerum species et ideas.
Si mens est vitiis lascivae dedita carnis,
Si vel luxuriae vel flammis aestuat irae,
Cor in avaritiam si diffluit ambitiosam,
445 Somniat hoc quod agit, quod cogitat, horret, hebescit,
Foeda, nefanda videt, facit, hanc illusio torquet,
Intendit falsis, quis porta subest elephantis.

417 maenia *G* 418 care *T* 425 preruptus *G T*
428 sit] est *T* 429 hesit *T* 430 Grata *T* usyae *G T*
432 clave *T* 441 ydeas *G T* 446 Faeda *G* Feda *T*

Nam vi naturae densatur sic ebur in se,
Nullus ut evasum visus penetret tenuatum:
450 Nulla quies agitur, strepitus quo tantus habetur.
Si vero sceleris non est infecta venenis,
Sed caret illecebris mordacibus eruta curis,
Vi fruitur propria, praesagit multa futura,
Ad verum tendit, quod sub velamine cernit.
455 Obstat tendenti nubes obducta, tuenti:
Nexus naturae caligantis, tenebrosae,
Mortales hebetat visus, a luce retardat,
Ac quasi per velum videt in somnis homo verum,
Cornea porta patet, verum sine figmine claret.
460 Durior est oculus reliqui quam corporis artus,
Corneus huic color est, non alget frigoris expers.
Sed moror, excessi, regredi placet, unde recessi.
Luce diem quartum sol extulit irradiatum,
Alpibus emensis gelida nive, frigore pressis
465 Romuleam celebrem Wilbrordus venit in urbem.
Obvius ivit apostolicus, mundi decus et lux,
Christi legatum sic suscepit quasi Christum, f. 66r
Amplexu fovit, quia plenum pneumate novit,
Pneumate, quadrifidi regitur quo regia mundi;
470 Munia quae potuit, quae debuit, omnia solvit,
Accivit sacrum clerum, cum plebe senatum,
Processit magna comitum stipante caterva,
Principis ecclesiae Petri conscendit in aedem
Electumque dei dextra duxit sociali.
475 Induit octonis vestimentis pretiosis,
In festo celebri quibus est solitus redimiri,
Ornatu typico tenui subtemine texto,
Est ubi contextus mos praesulis, actio, sensus,
Sunt elementa, polus, sol, zodiaci via, tempus,
480 Ne sibi, sed toti genitum se cogitet orbi,
Damna creaturae sua deputet, immolet, oret
Non solum pro se, sed et omni condicione.

449 erasum *GT* 457 habetat *T* 464 pressus *T* 473 aecclesiae *G* 478 presulis *GT* 482 Ne *T* conditione *GT*

Roma plaudente, suffragia sueta ferente
Unxit eum, fungi dedit ordine pontificali.
485 Quam pius et clemens foret, alta mente revolvens
Nomen mutavit sibi Clementemque vocavit
Sole Kalendis in denis oriente decembris,
Progeniti verbi dum circulus exiit anni
Par sexcentenus nonus novies decuplatus
490 Ac non finitus solari cardine quintus.
Detinuit secum caelesti munere functum,
Perspicerent ut se cherubim duo, zodia vitae,
Percuterent vinctis ut se vicinius alis.
Alternis vicibus tetigit se mutua virtus.
495 Ignis divinus per verbum de patre missus f. 66v
Accensum de se lustravit cor utriusque,
Vivi carbones vitae traxere calores,
Lucidius meritis lucebant lampade solis,
Alterutrum pasti sunt esca spirituali.
500 Scivit matheten didascalus optima scire,
Pignera sanctorum dedit huic munus pretiosum.
VIII. Ditatum donis bis septem solibus actis
Dimisit reducem, lacrimis testatur amorem.
Dimissus rediit, Francorum regna revisit.
505 Occurrere viri cum Pippino duce summi,
Summi divitiis ab avis et honoribus amplis.
Clerus avet, iubilat plebs omnis et hymnologizat.
Assunt certatim, dant oscula fida vicissim,
Non exultarent plus, si deus ipse veniret.
510 Est honor impensus sibi summus, erat quia dignus:
Est Traiectensis data sedes pontificalis,
Sedes iam non aedificata, sed aedificanda.
Viltaburg venit, veniens prius unde recessit,
Navigiique graves liquit sub fine labores.
515 Invenit messem multam messore carentem,
Optavit, per quos posset cumulare maniplos.

483 suaeta *G* 491 celesti *T* 492 cherubin *G* 497 colores *T* 499 aesca *G* 500 mathyten dydascalus *GT* 501 preciosum *G* 502 bonis *T* 507 ymnologyzat *GT* 510 inpensus *GT* 512 edificata — edificanda *GT* 513 Viltalburg *G*

Saepta monasterii condens in litore Rheni
In crucis ac diae sacravit honore Mariae,
Constituit cathedram sibi contiolaeque proseucham.
Sed mihi Pieridum pede non est progrediendum,
Est respirandum, recreandi more morandum.

II.

IX. Impositus cathedrae Wilbrord grandi sub honore f. 67r
Non aliter docuit quam vixit, sed prior egit.
Quicquid agi suasit, dux praevius ante volavit,
Ante tulit gressum, grex ut se non alienum,
Grex ut pastorem sequeretur, non gregis hostem.
Ac superintendens ut fulgur eundo revertens
Se meminit monachum matris de ventre dicatum,
Ursit propositum monachi, cursumque, volatum:
Hoc sibi subiectum nutrivit in ordine clerum.
X. Angelicam, non humanam ducens homo vitam
Excessit hominem, gessit carnem sine carne,
Nam commendatam studuit decuplare probatam.
Ivit per Fresiam Rabodi regnantis in aulam,
Insinuavit ei caelestis agalmata regni,
Sed nil profecit, quia non in tempore venit.
Tempus quippe rei sub sole dedit deus omni,
Tempus, per species quod dividit 'ecclesiastes'
Non ut Aristoteles argutas per rationes,
Sed per inauditam Spartanis allegoriam.
Aptius expectans tempus secumque volutans
Absque David clavi nil claudi nil aperiri f. 67v
Abscessit maestus laetos reditus habiturus.

517 Septa *GT* littore *G* 518 dyae *GT* 519 conciolae *GT* 520 Pyeridum *GT* *post v.* 521 Explicit liber primus *GT*

Incipit liber secundus *GT* 1 Impositus *G* 3 quidquid *T* previus *GT* 6 super intendens *GT* 12 M nam (*sic!*) *G* 14 celestis *T* 17 aecclesiastes *G* 18 Aristotiles *G* notiones *T* 19 allegoryam *GT* 22 mestus *G*

Invisit Danos confines, Ditis alumnos,
Saevit ubi saxis vir durior, acrior ursis,
25 Non appellandus vir, sed leo truxque tyrannus,
Ongendus dictus, furiarum carcere dignus,
Nomine praetendens ferus ingenitos sibi mores.
'On' est ens; quod prodit ab'est', generis vice non est.
Non ut de specie genus ut ducunt isagogae,
30 Non ita de denis est dictum categoriis,
Sed magis aequivoce, non univoca ratione.
At cum nil nisi se designet syllaba per se,
Sed consignificet, si non et dictio constet,
Posterior primae sit et ultima iuncta secundae
35 Finalique per 'a' sit littera nexa canina:
'Est gens dura' sonat conexio nominis acta.
Durus rex genti durae meruit dominari.
Cor adamantinum se pravum vertit in arcum,
Non potuit frangi, verbi magnete secari,
40 Ferrum quo trahitur, quo ferrea mens leviatur,
In caelum rapitur, dum suspensa speculatur.
Sed pressa rabie, sopitis ignibus irae
Obsequii munus persolvit et hospitii ius,
Non tamen attendit, sed verbi spermata sprevit,
45 Quae didicit, non dedidicit, non figmina liquit.
Tantae duritiae vim pensans assecla vitae
Moliri frustra, vexari noluit ultra:
Abstitit, exivit caulasque suas repetivit.
In remeando dolet, quod nulla talenta reportet, f. 68r
50 Quod vacuus remeet, tritura, quod area cesset:
Occurrit menti magni prudentia Pauli.
Paulus Bithyniae fines decrevit adire,
Pelleret ut tenebras mortis, subverteret aras,
Sed Iesu Christi restitit sibi flamen eunti:
55 Destitit et Mysiam studet agno iungere sponsam.

moestus *T* letos *T* 24 Sevit *GT* 27 pretendens *GT* 28 prodit abest *T* 29 ysagogae *GT* 30 cathegoriis *GT* 31 equivoce *T* 32 designat *T* 35 litera *T* 37 Dunus *T* 40 leniatur *T* 41 celum *T* suspensa dum *GT* 43 hospicii *GT* 46 duriciae *GT* 52 Bythyniae *GT* 53 oras *T*

Hac vir apostolicus forma maerore solutus
Lucratus modicum doctrinae merce lucellum
Triginta lectos secum transvexit ephebos,
Lorica fidei munivit, casside verbi,
60 Ditis commentum praevenit et impedimentum,
Abluit a noxa, quam contraxit vetus Adam.
XI. Sed quia nil laetum, nil est in carne quietum,
Immo turbatur, quod conceptum generatur,
Evectus navi iactatur turbine grandi,
65 Non tamen afficitur iactura, non remoratur,
Sed recipit laceris illum brevis insula remis,
Insula Fositesland sub Fresonum dicione.
Planities lati patet hic gratissima campi,
Gramine fertilis est et floribus, ubere glaebae.
70 Laeta virecta greges carpunt abdomine pingues.
Longi nocte brevi reparantur damna diei,
Ros reddit gelidus quantum consumpserit aestus.
Manat aquae iugis fons, unda superstitionis;
Qui bibit inde, tacet, fari penitus nihil audet,
75 Non mutire licet, tacitis vox faucibus haeret.
Iniectos situlae nummos non contrahit ad se,
Orat, ut accedit, sic orat, quando recedit. f. 68v
Excolitur fanum sollemni more profanum:
Nemo viator adit, nisi quem via longior angit,
80 Nemo, quod errat ibi, pecus est formidine leti,
Nam qui praesumit, perit, hunc sors ultima punit.
Hac in valle sibi iussit tentoria tendi,
Contempsit cultum ritumque superstitiosum,
Non rabiem regis timuit, non iurgia gentis,
85 Mactari mensae permisit pinguia quaeque,
Tres in fonte viros baptizavit renovatos,
Sivit ab urceoli fundo libamina tolli.

56 merore *GT* 60 prevenit *GT* inpedimentum *G* 62 letum *T* 63 concaeptum *G* 67 Fosytesland *GT* 69 glebae *GT* 70 Leta *T* 73 supersticionis *GT* 75 muttire *T* heret *G* 77 accaedit — recaedit *G* 78 solemni *GT* 80 laeti *G* 81 presumit *GT* 83 cultum] vultum *T* supersticiosum *GT* 87 Sinit *T*

Nec mora, concursus fit, adest ignobile vulgus,
Seditione furit, rabidas mentes furor urit,
90 Fulmineo tantum scelus aestimat igne piandum
Ultoresque deos in vindictam stimulatos
Nocte satam Stygiis Allecto ducere ripis
Anguibus intortis, ut ludit musa Maronis.
Sed cum nil laedi, nil cernit triste timeri,
95 Vix se continuit, non irruit, ira quievit.
Fama tamen, monstrum, quo non pernicius ullum,
Mobilitate vigens, vires in eundo requirens,
Quae non sunt fingens, veris mendacia miscens,
Fama Giganteae stirpis, furor, ultio terrae,
100 Sunt cui tot linguae, quot sunt in corpore plumae,
Sunt oculi vigiles totidem, tot subrigit aures,
Cursus terrificam detorquet regis in aulam,
Accendit flammas menti, movet, aggerat iras,
Divulgatque virum venisse diis inimicum,
105 Osorem regni, suadentem numina sperni. f. 69r
Famae rex credit, fremit, indignatio crevit,
Frena tamen calidae non laxat cursibus irae.
Primores populi iubet intra tecta vocari;
Assunt, in solio medius consedit avito,
110 Quaerit consilium, quaerit, sibi quid sit agendum.
Decreto procerum decernit sorte probandum,
Quem iubeant saevas sontem di pendere poenas.
Ter tribus est vicibus ternis sors missa diebus,
Sed vitae consors mansit discriminis exsors,
115 Sors non prodit eum, tamen in comitum cadit unum,
Unum martyrii meritum palma decorari.
Sed quid censendum, quid in hac re coniciendum?
Ni deliquisset, non sors in eum cecidisset.
Contraxit naevum stillante cruore medendum:
120 In situla primus tulit aera cupidine tactus.

94 ledi *T* 97 ingens *T* 98 mendatia *G* 99 Gyganteae *G* Gygantiae *T* 102 Currus *GT* 103 aggerit *T* 110 Querit — querit *T* 112 sevas *GT* dipendere *T* penas *GT* 114 discrimine *T* 117 coniiciendum *GT* 119 nevum *T* 120 era *GT*

Non pedicam cavit, quam vitae praedo paravit,
Sed tamen evasit, quia crimen sanguine lavit:
Est emundatus sic caelitibus sociatus,
Ablata noxa non est ablata corona.
125 Nam nil iudicium divinum linquit inultum,
Est hic aut alibi delicta necesse piari,
Virtutis pretium tamen est in cardine fixum.
Lex est per Moysen data, credita mysteriarchen,
Sed quoniam maerens silicem percussit et haerens,
130 In Nebo moritur, contra Phogor sepelitur.
Si non est Moysi parsum, non parcitur ulli.
Vates veridicus Bethel est ad delubra missus,
Scinditur ara, cinis perit, aret dextera regis, f. 69v
Restauratur; abit, sed decipitur, redit, edit,
135 Mandatum fregit; trux hunc leo dente peremit,
Non asinum tetigit, stetit, haut de carne comedit,
Sed quasi commissos artus custodit humandos.
Sic, de quo cecini, donatur honore triumphi.
Sed rex unius sortita morte potitus
140 Expugnasse putat caput ac se praevaluisse;
Accitum verbis temptat terrere severis,
De fani vanis expostulat, arguit aris,
Se queritur spretum decretaque prodita legum.
Non deterretur praesul, non mente movetur,
145 Sed serpentinae perfert pus, sibila linguae;
Quae decuit regem, quae se, reddit rationem:
'Non iram merui, non te, rex inclite, laesi.
Es sapiens, non ira cadit, scis, in sapientem;
Audi, quae per me loquitur dominus deus ad te.
150 Est opus artificis deus, in quo spem tibi figis,
Non deus est tuus, est nihil, es potius deus eius,
Non formavit te, sed formatum colis a te,

121 predo *GT* 123 celitibus *T* 127 precium *GT* 129 quoniam] quem *T* merens — herens *GT* 130 Phagor *T* 131 non Moysi *om.* est *T* 134 aedit *G* 136 haud *T* 137 commissos] missos *T* 140 Expugnare *T* 142 phani *GT* 144 presul *GT* 147 inclyte *GT* lesi *T* 148 scis] scio *T* 152 formatam *T*

Vivis, non vivit, sentis, non formula sentit.
Erras, deciperis, sub figmento cubat anguis,
155 Anguis, qui primae subrepsit origo ruinae,
Virus qui fraudis spuit, infudit protoplastis,
Insufflavit eis aeternae sulphura mortis
Ac per eos omnem deglutit posteritatem.
Huic, rex, heu! servis, huic collum nobile flectis,
160 Hic te subiectum sibi demerget sub Avernum,
Vermis ubi tundit psychen ignisque perurit, f. 70r
Non moritur vermis, non vis extinguitur ignis,
Est sine defectu defectus, mors sine morte,
Est infinitus finis: quid amarius est his?
165 Sed dum tempus habes, hanc, quam geris, exue mentem,
Consule, parce tibi, convertere, desine falli,
Desere quod non est, ut verum percipias 'est'.
Non est 'esse-quod-est' quod credis, sed tua mors est;
'Esse-quod-est' deus est, hoc omnis condita res est;
170 Si vis esse, vide, quid agas, merearis ut esse,
Fonte salutari festina purificari,
Ne vita careas, ne regni sceptra relinquas,
Sed regnes per eum, qui rex est vitaque regum,
Qui dat regna quibus vult et transfert ea quo vult'.
175 Edidit haec heros, paucis haec reddidit archos:
'Novi, quid cupias, quae sit tibi prompta voluntas,
Velle mori scio te, non continget tibi per me.
Vive, licet nolis, aequasti famina factis.
Est invincibilis tibi vis, constantia mentis,
180 Ocius ergo redi, de nostris finibus exi.'
Hic primas tantus primatibus est imitandus,
Ethnicus exemplum dat Christicolis recolendum.
Nam quia Spartani sectatus scita Lycurgi
Invenit leges, quibus effera comprimitur mens,

157 eternae *GT* 160 Arvernum *T* 161 spychen *GT* 175 hec (*bis*) *T* 178 nobis *T* equasti *T* 182 Hethnicus *GT* Christiolis *T* 183 Ligurgi *GT*

185 Irae frena, modum statuit, ius censuit aequum,
Noluit insontem quemquam sine lege perire,
Non accusatum laesit nisi sorte notatum.
O clibanum mentis quantus succenderat ignis,
Dum se contemni, sua vidit sacra refelli! f. 70v
190 Non in Trinacriis magis aestuat Aetna caminis,
Cum nubem picei prorumpit in aethera fumi
Eructatque globos flammae scopulosque revulsos,
Viscera montis agit sub divum, sidera lambit.
Sed se devincens extinxit pectoris ignes.
195 At nostri proceres commota bile tumentes
Extra se saliunt, propria non pelle quiescunt,
Non cohibent frenis animum religantve catenis,
Non modus est irae, non est dilatio poenae,
Scintillant oculi, sunt sanguinei, truculenti,
200 Ignescit vultus, linguae se praepedit usus,
Amittunt sensum, non sunt in pectore secum:
Insanos homines insanus iuret Orestes.
Sed quid necto moras sulcaturus maris undas?
Explosa rabie Rabodus bilisque tumore
205 Mutavit mentem contra fas ante furentem,
Converti voluit, ceu prisca relatio prodit;
Sub fidei specie baptisma sitivit inire,
Plantas immisit, sed deterior resilivit
Sive metu gentis motus, seu crimine mentis.
210 Non meruit turri lapis Ananeel copulari,
Excessit normam mensurae filius irae.
Sed licet abstractus, licet esset apostata factus,
Legatum verbi sivit sub honore reverti.

XIII. Exiit antistes et transiit ad Walichrenses.

215 Est haec effera gens, non iura verens neque leges,
Non assueta iugo, non imperio, sine freno,
Cervicis durae, motabilis ut maris undae, f. 71r

188 clybanum *GT* 189 contempni *GT* 190 Aethna *G* Ethna *T* 193 sydera *GT* 195 commoto *T* commota *ex* commoto *corr. G* 198 penae *G* 199 sanguine *T* 202 Horestes *GT* 206 relaxio *T* 208 inmisit *G* 210 Ananehel *GT* 212 esse *T* 214 transit *T*

Ex quibus est circa spumantibus insula cincta.
Per Scaldae fluvium subit optatum sibi portum,
220 Ancora de prora iacitur sub litoris ora,
Exiliunt comites laetum celeuma canentes.
Progreditur socia se constipante caterva,
Ingreditur spurcam ritus squalore proseucham.
Effigies varias ibi divum cernit et aras:
225 Concaluit, doluit, cor eius zelus adedit,
Zelus, quo Phinees, quo mens arsit Matathiae,
Diruit incusas sub perditione figuras,
Hemitheos pepulit, Summanus cum Iove fugit,
Aedem mundavit, renovans altare dicavit.
230 Non tulit aedituus mentis furiis agitatus,
Accurrit validum gladio conixus in ictum,
Vires exeruit, cerebri confinia rupit,
Vita privasset, nisi vita necem superasset;
Sed non oppetiit, non laedi vulnere quivit,
235 Est in communis servatus dona salutis.
Vix comitum diram pro se compescuit iram;
Ultio ne de se procederet, opposuit se,
Hostem defendit, pacem pro lite rependit.
Non tamen ira dei permisit pace potiri.
240 Nil est lucratus Ditis possessio factus,
Vinctus, vexatus diros solvit cruciatus.
Genti maesta suae spectacula praebuit in se
Ancipiti collo, membrorum solvitur ordo,
Est rabie tumidum cor, turget pectus anhelum,
245 Terror inest oculis distorta tuentibus hirquis, f. 71v
Non mansit vultus, non gestus, non color unus.
Dumque die quarto sol surgeret axe citato,
Est suffocatus Stygioque lacu tumulatus.
Nec solus periit, sceleris monimenta reliquit,

219 Scalde flumen *T* 220 Anchora *GT* littoris *GT*
221 letum *GT* 222 se circumstipante *T* 224 ibi divinas *T*
225 adaedit *G* 226 Finees *G* Fineas *T* Mathathyae *GT*
227 perdicione *GT* 228 Emytheos *GT* 234 ledi *T*
235 incommunis *GT* 237 Ulcio *GT* 238 pacemque pro *T*
242 mesta — prebuit *GT* 245 hyrquis *GT* 246 cultus *GT*

250 In nondum genitos est ultio fusa propinquos.
Ex radice mala ramalia sunt vitiata:
In tempus praesens damnatur postuma proles,
Longius aut brevius crescit, decrescit in artus,
Aut deturpatur vel foeda peste gravatur,
255 Est sibi dedecori totique notabilis orbi.
Est vero populus summa formidine pressus,
Palluit, expavit, non vivere posse putavit,
Legato domini se nisu subdidit omni.
Ceu fontem cervus post anguinos sitit haustus,
260 Sic in vitali sitiit se fonte renasci.
Delubra destruxit, divina sacraria struxit,
Error abit vetus et veteris pollutio cultus,
Luce nova tenebrae veteres truduntur abactae.
Sponsus ibi sponsam Christus duxit speciosam,
265 Est Wilbrord dignus factus sponsi paranymphus,
Sunt per eum pulchrae data pulchra monilia nuptae.
Dumque moras ageret, sponsalia multiplicaret,
Comperit oceani super agros flumina fundi,
Aedes avelli vastaque voragine mergi.
270 Est nisus precibus motos componere fluctus,
Moles undarum nativum trusit in alvum,
Obiecit vectes cumulos extantis harenae,
Instar enim muri stetit obex glarea ponti. f. 72r
Durat in id tempus, hic frangitur Ennosigaeus
275 Nec transit metam fidei virtute statutam,
Sed quasi compedibus furit intra litora vinctus.
O quantus constat, qui stare mari iubet, et stat!
Non Iosuae dispar, qui Iesum nomine signans
Iussit declivem flammis Hyperiona stare,
280 Nusquam provolvi, non a statione moveri,
Donec magnificum duxisset ab hoste triumphum,
Pacem proselytis firmasset Gabaonitis:

250 ulcio *GT* 251 viciata *GT* 252 presens dampnatur posthuma *GT* 254 faeda *G* feda *T* 260 siciit *GT* 271 nativam *T* 272 exstantis *GT* 274 Ennosygaeus *T* Ennosygeus *G* 276 littora *G* 279 yperyona *GT* 280 stacione *G* 282 proselitis — Gabaonytis *GT*

Sol ibi retrogradus, hic retro cessit abyssus.
Est mare conclusum, vitae capit insula fructum.
285 XIV. Praesul firmatis rediit fidei rudimentis,
Pastor oves adiit, per pinguia pascua pavit.
Non est oblitus, quanto sit honore potitus,
Dum non est laesus, letali vulnere caesus,
Dum verbo gentem subiecit in arma furentem,
290 Regibus invictam domuit se paupere victam
Ac Nereum vinxit refluoque repagula fixit:
Non hoc Lethaeus quivit submergere rivus.
Sed se discutiens, sibi praestita dona revolvens,
Quicquid sudavit prius, ut nihilum reputavit;
295 Est sibi difficiles conatus adire labores.
Paulum vas electum, vas imitans pretiosum
Per lepidos actus est omnibus omnia factus.
Ignis discurrens, animalia sancta perurens
Discurrit per eum per conciliabula fratrum,
300 Esset ut his praesens animo, facie licet absens.
Hoc flagrans igni discursu spirituali f. 72v
In vico Suestra petiit monachilia saepta.
Actus amore viae brevioris et accelerandae
Transiit angusto per aristas limite ducto,
305 Limite, qui tenuis dictus rigor a geometris
In praesignatum trahitur quasi linea signum.
Sed tutor segetis permotus bile furoris
Insano currit similis, convicia fudit
Cornipedemque via vetuit procurrere trita.
310 Verna dei doluit, siluit, divertit, abivit.
Sed cum Tithoni surgens Aurora cubili
Visum mundanum solem praecurreret ortum,
Ad curam culti rediit blasphemus agelli,
Ivit securus, sed in aeternum periturus:
315 Morte repentina divina concidit ira

285 Presul *GT* 288 lesus *T* laetali *G* vulnere lesus *T* 292 Letheus *T* Laetheus *G* 293 prestita *GT* 294 Quidquid *T* 296 preciosum *GT* 298 sacra *T* 300 presens *G* 302 petit *T* septa *T* 306 presignatum *GT* 311 Thytoni *GT* 312 precurreret *GT*

Incussitque metum tam detestabile letum.
Hoc obitu pereant quicumque viantibus obstant.
O quanti meriti vir, quam carus deitati!
Non deus offensum, pulsum dimisit inultum;
320 Non eius cordi, non eius defuit ori.
Ipse nihil voluit, nisi quod voluit deus ipse,
Sanae doctrinae studio discurrit ubique.
XV. Dumque per undosi transiret litora ponti
Sole coquente diem, calor accendit sitis ignem.
325 Aruerant comitum fauces, os, lingua, palatum;
Est aqua iuxta se, salsugo sed amovet a se,
Cernunt nec tangunt et plus sitiunt, quia cernunt.
Quo minus ardentes possent tolerare vapores,
Conspectae fecistis aquae salis instar amarae. f. 73r
330 Condescendit eis vir mellifluae pietatis;
Ne desperarent, hortatus, ne titubarent,
Spe fidei mixta subiit tentoria fixa
Nec permisit ibi quemquam propius remorari.
Procubuit modica scrobe facta fusus in acta,
335 Palmas expandit, caelum precibus penetravit:
'Summe deus, pie, care deus, mea spes, mea virtus,
Dulcis fons vitae, nil dulcius et melius te,
Solus habes 'esse', quo rerum profluit 'esse',
'Esse suum' das cuique, datum ceu vis ita mutas.
340 In colubrum typicam mutasti mystice virgam;
Est factus sanguis Nilus, Memphiticus amnis;
Profluxit dulcis diri prius unda saporis
Dulcorata typo crucis immisso sibi ligno;
Petra Petrum signans et mystica dona ministrans
345 Ardorem populo sitis extinxit recutito.
Es deus idem nunc et idem potes, o pie, quod tunc,
Par similisque tuos recreet nos gratia servos,
Fons manet dulcis gustu tactuque salubris,
Ne consumantur, qui me pro te comitantur,
350 Quos commisisti mihi quosque mihi tribuisti;

316 laetum *G* 323 littora *GT* 327 siciunt *G* 341 Memphyticus *GT* 343 inmisso *G* 344 Petra petram *GT*

Per me salventur, tua gloria magnificetur.'
Vix prece finita fluxit dulcissima lympha,
Elicuit fontem scatebris nunc usque scatentem.
Accurrunt agiles sedantque sitim sitientes,
355 Est extincta sitis, domino data victima laudis.
Clarior ex claro Wilbrord est, altior alto,
Ante suis carus carissimus est ibi factus. f. 73v
Ne tamen ulterius torreret eos gravis aestus,
Hauserunt dulcem secumque tulere liquorem
360 Non diffidentes, sed eum vexare timentes.
XVI. Succedunt miris miranda stupendaque signis.
Intentus studiis caelestibus, artibus almis,
Numquam defecit, non nocte dieque quievit,
Sed triticum fidei populo dedit esurienti.
365 Dumque fugans mortem transiret per regionem,
Occurrere sibi mendicantes duodeni
Pauperie maesti, nullo velamine tecti
Ni xerampelinis, conserto tegmine spinis.
Quid faceret? non aes habuit, panes neque vestes.
370 Est vas vimineum, patet arta fauce rotundum,
Est ad iter partum, vix heminae capit haustum,
Hoc sibi delato fessos satiavit iaccho.
Non est exhaustus modicus liquor ille, sed auctus,
Effusus velut infusus fluit inde refusus.
375 Ebiberant et transierant hymnumque canebant:
Est vas inventum vino velut ante refertum.
Quae mens concipiat, quae lingua diserta retexat,
Quanta dei pietas sit, quanta benigna voluntas,
Sola creaturae totius causa creandae!
380 Esse voluntatem constat rerum genetricem.
Optimus est deus optima cuncta volens et adimplens,
Omnia quae voluit, canit ut psaltes, ita fecit:
Hylen, ideas, caelum, terram, maris undas

354 sicientes *G* 352 exstincta *GT* 361 Succaedunt *G*
362 celestibus *T* 371 eminae *GT* 372 yacho *GT*
375 ymnumque *GT* 376 ante] aute *G* 377 deserta *T*
379 tocius *GT* 383 Ylen ydeas *GT* celum *T*

Condidit ex nihilo distinxit et ordine certo.
385 Sic rursus plenum vas reddidit evacuatum. f. 74r
XVII. Est simili signo virtus patris agnita mundo.
Dispositis extra quae congrua sunt sibi visa,
Interiora sui statuit disponere claustri.
Venit et est epicis susceptus ut angelus hymnis.
390 Membra salutavit caput, omnes laetificavit
De se pendentes, suscepit suscipientes,
Oscula libavit, doctrinae melle cibavit.
Circuit aediculas fraternis usibus aptas,
Si quid collapsum, si quid foret aedificandum.
395 Intravit promum nihil hac vice promere promptum;
Nil invenit ibi, defecit copia vini,
Est tamen exiguus liquor uno vase repertus.
Immisit baculum pro sustentamine gestum
Auxilio fisus, cuius virtute lecythus,
400 Per quem spes viduae manet hydria plena farinae,
Ad cuius nutum manans oleum prius haustum
Infusum typicis fluit ad spiracula vasis,
Persolvit meritis Elisaei debita matris.
Tota mente preces divinas fudit in aures,
405 Nec frustra petiit, nam bacchi potio crevit,
Oenophori vacuas implevit adaucta cavernas,
Humectavit humum, damnum non intulit ullum.
Res latuit, penoris custos venit, reseravit,
Vidit et obstupuit, clausit tacitusque recessit;
410 Solum solus adit, domini magnalia pandit.
Praesul avet, grates agit, offert crusmata, laudes.
Se non extollit, memori sed mente revolvit,
Quod transformatus Thabor super ardua Christus f. 74v
Mysterium tanti visus vetuit memorari
415 Ante sui summum victa de Morte triumphum.
Exemplo celebri iubet hoc de se reticeri,

384 destinxit *T* 389 suscaeptus *G* ymnis *GT* 390 letificavit *T* 391 suscaepit *G* 393 ediculas *T* 394 edificandum *T* 398 Inmisit *G* 399 lechytus *GT* 403 Helysei *GT* 405 peciit *G* bachi pocio *GT* 406 Aenophori *G* Aenophora *T* 410 adiit *T* 411 Presul *GT*

Ne quisquam resciat, dum carnis debita solvat,
Ne robur mentis favor enervet popularis.
Non propriis meritis adscripsit dona salutis,
420 Sed domino soli, virtutum progenitori,
Infra se posuit se, crevit et inde super se,
Clarius emicuit, conceptus lumine luxit.
XVIII. Venit iter tendens in amicas hospitis aedes.
Hospes eum studio complectens officioso
425 Apposuit mensam variis dapibus cumulatam,
Erubuit, quod ei defecit vena Falerni.
Sed vitis verae palmes stillans pietate
Succurrit tristi mira virtute rubori:
Pocula de vasis bis binis miscuit artis
430 Vimine contextis, heminis quattuor aptis,
Suntque quater deni convivantes satiati.
Sicut aquae iugis fons puris profluit undis
Nec patitur refluis in se dispendia venis,
Sic liquor ex modicis profluxit viteus obbis.
435 Gratia donavit hoc, quod natura negavit.
Frumenti granum post mortem vivificandum
Distribuit quinque panes in milia quinque
Ac geminos pisces duo testamenta notantes;
Ex pentateuchi mensa dans fercula menti
440 Esuriem pepulit dape, corda famelica fulsit,
Farsit apostolicas bis sex de fragmine sportas. f. 75r
Quae domini mentem mens indaget ratione!
Quidquid vult, hoc fit, quod non vult, non penitus fit.
Nobilitare suum meritis decrevit alumnum:
445 Auxit ut ipse cibum, dedit huic augere lyaeum.
Convivae saturi novitate rei renovati
In divinarum prorumpunt cantica laudum.
XIX. Dapsilis antistes tanto sub honore recedens
In fines Fresiae statuit maturius ire,
450 Quo satiet gentem divini panis egentem.

419 asscripit *G.T* 422 concaeptus *G* 430 eminis quatuor *GT* 431 saciati *GT* 434 profluit *T* 435 Gracia *G* 439 pentatheuci *GT* 440 fulcit *GT* 448 recaedens *G* 450 saciet *GT*

Cumque fatigatus, Phoebea lampade tostus
Divitis in pratum pravi diverteret amplum,
Vir moti capitis procurrit, victima Ditis,
Evomuit foedum litis pus atque venenum,
455 Cornipedes laeto caesos exegit ab ervo.
Sed celeres equites non iurgia tanta ferentes
Cum vellent hostem vita privare procacem,
Iussit, ne facerent, ne sanguine se macularent.
Dulcibus hunc verbis pro factis mulcet acerbis:
460 'Parce tibi, fili, ne saevi, parce furori,
Ad te collige te, mentem rege, sta, resipisce,
Pensa, si caperes iter, an id agi tibi velles.
Quae tam crudelem retinet gens barbara morem,
Arceat ut viridi lassos de gramine campi,
465 Quod dum grex rodit, tantum ros nocte reponit,
Observet fontes, declivos abneget amnes?
Non tibi molimur damnum, pro pace venimus,
Tendimus in Fresiam sponsam domino copulandam.
Legatos sponsi cura si iuveris omni, f. 75v
470 Praemia percipies per nos, velut ipse labores.
Desere rancorem, procul a te pelle tumorem,
Nobiscum prande, bibe, nobiscumque recede.'
Profectu nullo narratur fabula surdo:
Congruit huic 'onos lyras', induruit ira.
475 Mel pater infudit, virus, fel ille refudit:
'Non pro pace venis, aretalogus esse videris.
Sed vim dictorum contemno, refuto tuorum,
Non mea prata sinam depasci, non tibi cedam.
Nolo moreris, abi, mea laedere pascua noli.
480 Munus nolo tuum, non prandeo, non bibo tecum.'
'Non bibe, sic sit!' ait doctor divinus et ivit,
Liquit avaritiae loca, radicis vitiosae.
Non aberat longe, sitis ignea crevit in hoste,
Ac si per venas repsisset torrida dipsas.

451 Phebeia *GT* 454 faedum *G* fedum *T* 460 sevi *T* 466 *an* obseret ut fontes? 470 Premia *GT* 472 recaede *G* 478 caedam *G* 480 prandes *T* 482 viciosae *GT* 484 dypsas *GT*

485 Ultio desaevit, redit aeger, pocula poscit,
Vix expectavit spatiumque morae brevis odit.
Admovit pateram labris plenam, spatiosam,
Sed non influxit vini liquor, immo refluxit.
Os totum mersit, nil profuit, ardor adussit,
490 Ignis edax tacita succendit viscera flamma,
Exhausit sucum circum vitalia fusum.
Canduit in sicco turgescens lingua palato,
Non sudor solitus lassatos manat in artus,
Arent exustae siccata per ossa medullae:
495 Missus in oceanum sitis haut extingueret aestum.
Non se divinum credit punire flagellum,
Sed vocat Archigenen, medicinae postulat artem, f. 76r
Maxima dona dedit, multo maiora spopondit,
Summis expensis emit fomenta doloris:
500 Cassus defecit labor et dolor auctus inhaesit.
Tandem defessus, nullo medicamine fretus,
Quem contempsisset, meminit, quem vi pepulisset.
Paenituit; fleret, si fletus vena vigeret.
Absentem quaerit, quem torvus abire coegit,
505 Si forsan redeat, per gyrum compita servat.
Supplicium tantum revolutum durat in annum,
Cum demum rediit, quo vindice passio coepit.
Est reus adductus macie confectus, adustus,
Irae vim queritur, se deliquisse fatetur,
510 Deposcit veniam, tanta pro peste medelam.
Nec mens Clementis clausit fontem pietatis,
Nomine significans rem gessit significatam,
Clementi poenam probitate repressit et iram,
Ex proprio cyatho temetum miscuit aegro.
515 'Non bibe' damnavit, 'bibe' damnatum reparavit.
Moribus ante lupum mansuetum vertit in agnum,
Incolumem fidis hilaremque remisit amicis.

485 Ulcio *GT* desevit *T* 486 spaciumque *GT* 487 spaciosam *GT* 495 haud *T* 497 archygenen *GT* 500 inhesit *GT* 503 Penituit *T* 507 caepit *G* 513 paenam *G* 514 egro *G* 515 dampnavit — dampnatum *G* 517 hylaremque *GT*

Est huic et multis generatus causa salutis;
Mors et vita, salus et languor, gratia, virtus
520 Ex nutu domini parent eius dicioni.
XX. Treveris est ingens urbs Gallica regna cohercens,
Victrix militia, dominatrix, altera Roma,
Plebis scita, patres habet ac fora iuraque, leges,
Est caput Europae, caput est quae cosmographiae,
525 Urbibus antiquis antiquior est monimentis. f. 76v
Nam velut ex tumba promunt epigrammata sumpta,
Semiramis Nino regnante superba marito
Non ab eo dictis contenta suis Ninivitis
Extruxit cocti lateris murum Babylonis,
530 Eoas gentes bello sibi subdidit omnes,
Fraude novercali privatum culmine regni
Privignum patria detrusit et urbe paterna.
Hic per tot gentes, per tot migrans regiones
Piscosum tandem Mosellae venit in amnem
535 Optavitque solum condendis moenibus aptum,
Urbem praeclaram statuit, sua moenia vidit.
Trebita nomen ei: dat nomen Treberis urbi,
Armis finitimos domuit longeque remotos,
Exulis in solio regnavit filius Hero.
540 Hic mundi dominae domus est extructa Mariae,
Incolitur castis cosmetis virginitatis.
Saevit ibi validi tempestas horrida morbi,
Virginei flores immutavere colores,
Palluit arescens rosa, fuscant lilia sentes,
545 Languent ancillae domini forma speciosae.
Ut rex interitus calcans aegros super artus
Quasdam finivit, reliquas sub morte reliquit,
Non tantae plagae succurrit opus medicinae,
Luctus ubique sonat, singultus pectora pulsat.

519 gracia *G* 522 milicia *GT* 524 cosmographyae *G* 525 monumentis *T* 526 epygrammata *GT* 529 Exstruxit — Babilonis *GT* 535 maenibus *G* 536 preclaram — maenia *G* 539 Exsulis *T* solis *T* 540 exstructa *GT* 542 Sevit *T* 543 inmutavere *G* 546 egros *G*

550 Tota madens lacrimis ibi mater spiritualis
Nunc desperatas, nunc aspicit exanimatas,
Quas plangat, nescit, geminus dolor et labor angit,
Optat et ipsa mori comitemque sororibus addi. f. 77r
Femineis tristes ululant plangoribus aedes.
555 Quid facerent? demum post funera multa suarum,
Post clades varias sedet omnibus una voluntas
Absque mora fidos Wilbrordo mittere missos,
Rebus ut in mersis properaret adesse levandis.
Festinus venit, cernens lugubria flevit,
560 Nectare doctrinae vetuit lamenta sonare,
Optulit hinc agnum pro peccatis holocaustum,
Agnum, qui sacra stayros oblatus in ara
Mortem damnavit, scelus Adae sanguine lavit.
Cordis in altari non destitit ipse cremari,
565 Dum thymiama precum vexit compunctio sursum
Ad domini solium, caeli terraeque senatum.
Potandam lympham dedit ore suo benedictam,
Lustravit vacui cellas aspergine claustri:
Sic exterminium, sic vindicis abstulit ictum
570 Extentamque manum gladiumque repressit adactum.
Hierusalem pulchrae sunt filiolae restitutae,
Reddita vita, salus est, fugit mors, cruciatus.
Amplae personae vetat hoc urbs ampla latere:
Tantum iuxta se gaudent sidus rutilare.
575 XXI. Accidit his actis cuidam temptatio grandis.
Territus est monstris: ut maesta domus Raguelis,
Sponsi dum Sarae tot ab Asmedeo periere,
Est subiecta pari lugentis pergula cladi.
Indidit horrores phantasma nocens, ephialtes,
580 Aut aliud nequius, pressurae pondere maius.
Non potuit cerni, non audiri neque tangi, f. 77v
Venit et exivit, rediit, sed nemo rescivit,
Quo discessisset vel adesset ac unde redisset.
Diripuit praedam, mantilia, gausape, mensam,

568 dampnavit *G* 565 conpunctio *G* 566 coeli *T*
570 adactam *T* 574 sydus *GT* 575 temptacio *GT*
576 mesta — Raguhelis *GT* 579 epyaltes *GT*

585 Vasa, dapes, vestes, penus omne redegit in ignes,
Abstulit infantem matris gremio recubantem,
Flammis ussisset, nisi se pater opposuisset
Proiectumque suis celer excepisset in ulnis.
Nulli securos licuit praesumere somnos,
590 Angulus omnis habet quod corda trementia terret.
Et quae vis invisibilem depelleret hostem?
Inclusus non excludi potuit neque trudi.
Profuit hic modica vix exorcismus in hora,
Phasma parum cessit, non longius inde recessit,
595 Irruit infensum quasi se crudelius ultum,
Plus insanivit, nihil illic paene reliquit;
In luctu iacuit domus, hinc vicinia fugit.
Sed tandem miseri venit tempus miserendi:
In cladis tantae rediit terroribus in se,
600 Virtutum meminit, quas Wilbrord nobilitavit,
Intra se rixam pro se concepit et iram,
Aeger vicinam quod distulerit medicinam,
Poena sit dira tortus virtute propinqua.
Evolat accelerans, pedibus timor alligat alas,
605 Venit, prostravit se, fletibus ora rigavit,
Syrma tragoediae pandit, quam pertulit in se,
Poscit tutelam domui plagaeque medelam.
Nec sua dona negat pietatis fons, sed inundat,
Haustum tradit aquae sibi per se sanctificatae, f. 78r
610 Ore prophetali retegit secreta futuri:
'Non contristeris, non exspes mente graveris.
Est domus haec Diti data, tota cremabitur igni.
Iudicium domini fixum nequit esse refixum,
Sed quaecumque potes, prius extrahe, longius abde,
615 Abdita salvificae resperge liquoribus undae,
Sta cruce signatus, tua respice damna reatus.

584 predam *G* 588 excaepisset *G* 589 presumere *GT* 593 exorcysmus *GT* 594 caessit — recaessit *G* 596 pene *GT* 600 quos *GT* 601 concaepit *G* 602 Eger *GT* 603 Paena *G* Pena *T* 606 tragediae *GT* 613 Indicium *T* 614 quaecunque *T* 616 Sta]Ita *T* dampna *GT*

Ardentes prunas ubi videris esse solutas,
Inmundos cineres et inustas egere sordes,
Lustrali lympha foris, intus diruta lustra,
620 Construe securus laetos soles habiturus.
Trusus ut Asmedeus, vinctus tuus est inimicus:
Non iteres ultra, tua ne sint deteriora.'
Hac spe discessit firmatus, iussa facessit,
Extulit, aspersit, stetit, ignem surgere vidit.
625 Sub lecti gradibus sonuit terrae quasi motus,
Ignis prorupit, tecti fastigia rupit,
Involvit sontes flammis ultricibus aedes,
Non mansit paries, non tegula, ianua, saepes.
Area mundatur, domus aptior aedificatur.
630 Sunt habitatoris potiora novissima primis:
Vixit ibi sospes, locuples, discriminis expers.

XXII. Non situs in latebris est mons in vertice montis.

Insignem signis vaga fama canebat opimis,
Signa loquebantur, quae nunc extunc celebrantur.
635 Summae iustitiae dux Karolus hunc amat ut se,
Dulcia sunt illi praeconia dulcis amici,
Fidit honestari per eum nimiumque beari. ·f. 78ᵛ
Committit natum sibi vitae fonte sacrandum:
Antistes iubilat, sacratum chrismate firmat,
640 Nomine Pippinum vocat ornans nomen avitum
Ac sibi symmystis sublatus lumine mentis
Tanquam praeteritum contexuit omne futurum,
Omne, quod huic proli dominus providit honori:
'Filius iste ducis, quem lavi fonte salutis,
645 Maior erit magnis maioribus, altior altis.
Non inter proceres, aluit quos Francia dives,
Clarior est ortus; hunc provehet ardua virtus,
Fascibus et donis cumulabitur atque triumphis.'

627 edes *T* 628 sepes *GT* 629 edificatur *T* 635 iusticiae *GT* 636 preconia *GT* 637 Fidet *T* 639 crismate *GT* 640 Pipinum *GT* 641 symmistis *GT* 642 preteritum *GT* 645 alcior *G*

Visio symmystae non verior est Isaiae,
650 Stemmate quippe ducum genitus dux, assecla regum,
Edicto papae rex est unctus Zachariae.
Progenie tanta dignum primus diadema,
Regalem primus trabeam gestavit adeptus,
Nec regni meta contentus prodiit ultra,
655 Fines extendit, contermina regna subegit,
Hinc Longobardos compescuit, hinc Aquitanos,
Duxit magnificos victor virtute triumphos.
In mundo nullus rex huic fuit aequiperandus.
Ex hoc est Magnus, sol terrae, Karolus ortus,
660 Sol, cuius radiis lustratur Gallicus orbis:
Est notus fama, qua caelum sustinet Atlas,
Caspia qua longum deducunt claustra recessum,
Nec magis Augusto se iactat Roma monarcho,
Principe quam tanto plaudit Germania Magno.
665 Imperium Gallis Romanae subdidit arcis, f. 79r
Christi pontifices sublimavit quasi reges,
Ditius his nihil est, nihil excellentius his est.
In nullam gentem, nullam prorupit in urbem,
Quam non contereret, non ampla tropaea referret.
670 Regnum fundavit genitor, genitus decoravit.
Hac viridi planta succrevit regia silva,
Induperatores et avito germine reges.
Prodiit Heinricus tanto de semine quartus,
Caesar et Augustus, quo fulget sidere mundus,
675 Hoc cuius nono quadrageno lusimus anno.
Nam ceu directo tractu fit linea puncto,
Per naturalem sic ductum stemma tenorem
Protulit insignem patris ipsius genetricem,
Gisela cui nomen, Cuonrad avus, Allobrogum rex.
690 Exitus hic rerum vatem probat edere verum.
XXIII. Novit divinum mens eius praescia sensum,

649 symmistae — Ysayae *GT* 650 Stemate *G* 652 dyadema *GT* 658 equiperandus *T* 661 celum *T* Athlas *GT* 667 Dicius *GT* 669 trophea *GT* 674 sydere *GT* 676 seu *T* 677 stema *GT* 678 genitricem *GT* 679 Gysela *GT* 681 prescia *GT*

Praescivit fragilis se solvi carcere carnis,
Emeritus miles cupiit finire labores,
Noys obtutum fixit, quo novit iturum,
685 Sed pastorali se sensit fasce gravari.
Sumpto consilio, quod contiolae dedit ordo,
Pontificem pro se Winfridum censuit esse.
Is meritis magnus, generosa stirpe Britannus,
Delicias patriae fugit quasi taedia vitae,
690 Se sibi subiecit, ceu patri filius haesit:
Per tres ac denos cor cordi paruit annos.
Hunc ita devinctum sibi compellavit amicum:
'Dulcis fili mi, mea dicta senis patris audi. f. 79v
Cernis, ut ipse gravi gravor ex aetate senili:
695 Deficiunt agiles effeto corpore vires,
Sanguis hebet gelidus, cassatur acumine sensus,
Non gregis hunc coetum, ceu pavi, pascere possum,
Excurso stadio metae confinia tango.
Tu vero laeta vernas florente iuventa,
700 Es totus viridis protensis sanguine venis,
Es speculum senibus, iuvenum turmis imitandus.
Non igitur negites, non excusando refutes,
Fac mihi, quod rogo te, regimen hoc suscipe pro me,
Hoc me fasce leva, succede, dei rege sponsam.'
705 Haec pater infudit, sed filius ista refudit:
'Non sum par oneri, quo me suades onerari,
Nec canonum gravitas iubet hoc, mea nec sinit aetas:
Non est expletus mihi quinquagesimus annus,
Lex quo divinis committit vasa Levitis.
710 Non sublimari veni, non glorificari,
Misit apostolicus me Gregorius, vigilum dux,
Dux, inquam, vigilum super excubias animarum,
Sumeret ut per me verbi Germania sumen.
Sed quia te vidi speciem domini speculari,
715 Me tibi supposui, feci quicquid voluisti.

682 solvere *T* 686 conciolae *GT* 688 styrpe *GT* 689 tedia *T* 694 etate *T* 695 effaeto *G* 697 caetum *G* cetum *T* 699 leta *T* 704 succaede *G* dei]domini *T* 705 Hec *GT* 715 quidquid *T*

Desine cogere me, fungi non audeo pro te,
Sim nisi permissus, cuius sum famine missus.'
His est elogiis discessio facta modestis.
Sed ceu disposuit praesul, successio cessit,
720 Non se deposito, sed carnis carcere ducto.

XXIV. Hic tantis opibus psyches ditatus et auctus f. 80r

Pulcher ut est intra, sic pulcher claruit extra
Somatis egregia forma facieque venusta.
Canitie nivea formoso vertice sparsa
725 Per speculum carnis se pandit gloria mentis.
Deliciae Davidis fovet hunc Abisag Sunamitis,
Est amplexa senem sapientia summa virentem.
Non minuit senium divinum munere sensum:
Vox eius dulcis, favus est facundia mellis.
730 Vivere non piguit, quia non carni caro vixit;
Sed faciem domini sitiens facie speculari
Fudit inundantes lacrimarum funditus amnes,
Permixtos precibus volvit sub pectore questus:
'Quid moror hic, quid ago, deus? et te quando videbo?
735 Scis, quia diligo te, desidero, me trahe post te,
Fac, unguentorum curram sub odore tuorum.
Pulso senex: aperi mihi, da mihi te satiari.'
Sed quid differimus, quod protelare nequimus?
De carnis leto data lex est in paradiso,
740 Lex intransibilis certo sub limite finis.
Mortem, quae caros, quae dissociat sociatos,
Mortem transmissam fore sensit carnis ad escam,
Auribus internis audivit carmen amoris:
'Imber, hiemps abiit maturaque messio venit:
745 Surge, veni, propera, sponsi thalamum cupis, intra!'
Surgit, ut egrediatur, et exit, ut ingrediatur.
Anno progeniti carnis sub imagine verbi

719 presul *GT* caesit *G* 721 spyches *GT* 724 Canicie *GT* 726 Abysag *GT* 727 viventem *T* 731 siciens *GT* 734 deus] dominus *T* 736 ungentorum *GT* 737 saciari *GT* 739 laeto *G* paradyso *GT* 740 sublimite *GT* 742 aescam *G* 744 hyemps *GT*

Septingenteno trigeno dispare nono,
Annis expletis cathedrae senis quadragenis, f. 80v
750 Enneadis numero novies aetate retexto
Transiit ex Sodomis olidaque voragine mortis,
Scandit aromatici caelum quasi virgula fumi,
Aeternum teretem psychen collegit in orbem.
Sphaeras caelestes miratus et aetheris ignes,
755 Ornatum, concentum, crusmata symphoniarum
Crevit, nostra dies quanta sub nocte iaceret,
Cantavitque novum Sion cum civibus hymnum.
Nec latuit iubilum nulli narrabile mundum;
Nam pernox eius — vir ad unguem factus — alumnus,
760 Pernox in psalmis patrio de funere tristis
Vidit corporeis oculis et lumine mentis
Tantam caeligenas animam deducere turmas,
Audiit hymnidicas summae dulcedinis odas.
Nec mora, deliquium tam clari solis obortum
765 Luctus ingentes ciet exemploque carentes.
Eius in exequias ruit omnis sexus et aetas,
In commune patrem patriae deflent abeuntem.
Cumque sacris saxum quaesissent artubus aptum,
Marmor ceu Parium mulier quaedam dedit album,
770 Sed mensuratum medio minus est pede visum.
Defectu maerent, quid agant, intentius haerent,
Cum cito per meritum, quod defuit est duplicatum:
Quod natura negat, virtus uranica praestat.
Tristes hinc hilares busti lapidem polientes
775 Partem praecisam servant aegris medicinam,
Pellunt quippe graves segmenta minuta dolores.
Corpus defletum deponunt in polyandrum, f. 81r

750 etate *T* 752 aromatica coelum *T* 753 Eternum *T* phychen *GT* 754 Spheras *T* Speras *G* celestes *T* etheris *T* 757 Syon — ymnum *GT* 761 Videt *T* 762 celigenas *T* 763 Audivit *T* ymnidicas *TG* 764 abortum *G* *an recte?* 766 etas *T* 767 deflet *T* 768 Cum *T* quesissent *T* aptam *T* 771 Defecta *T* merent — intencius *GT* 773 prestat *GT* 774 ylares *GT* 775 precisam *GT* egris *T* 777 poliandrum *GT*

Est impensus honor, demonstratus gregis ardor.
Astans angelicus complet sua munia coetus:
780 Suavior unguentis odor est fusus pretiosis,
Est locus hic visus redolens tanquam paradisus. —
Non ultra plenis potui pertendere velis,
Vix tetigi portum, quia traxi corpore morbum,
Sensi sentinam, tristem timui Libitinam.

III.

Incolumis repeto navim litusque relinquo.
Spiritus aspiret nec flamine carbasa privet! —
Naribus attractus non est odor attenuatus,
Sed potius crevit, loca sacra vapore replevit,
5 Est instar nebulae fusus, quasi fumus acerrae
Obtexit madidum lacrimarum flumine lectum,
Quo senior caluit, quo membra senilia fovit,
Unde polum petiit, dum carnis lemmata liquit.
Est ibi divinum lumen splendescere visum,
10 Lumen, quod rutilum non nox interpolat ortum.
O quam felix est, cui mansio cum superis est!
Arcet nocturnas a claris artubus umbras. f. 81'
Non caro foetorem, sed amomi spirat odorem,
Vermes non gignit putidos, sed aromata vincit,
15 Dum moritur, vivit, quia vitae curia vixit;
Qua deus accubuit, cenavit cum patre, mansit,
Accubitum dulcem per suavem prodit odorem.
Est mausoleum patris oppido nobilitatum:
Excedunt numerum miracula grandia certum,
20 Indita sed cartae non sunt scriptore vacante.
Nempe vacat Scotius rem tantam primus adorsus,
Ingenii nebula tegit, oblinit inclita gesta.

778 inpensus *G* 779 caetus *GT* 780 ungentis *GT* preciosis *G* 781 tamquam *T* paradysus *GT* 784 lybithynam *GT* *post v.* 784 Explicit liber secundus *GT*
Incipit liber tertius *GT* 5 acervae *T* 7 *an* cubuit? 11 *an post v.* 12 *ponendus*? 13 fnetorem *G* 18 caenavit *G* 19 Excaedunt *G*

Hoc Alcwin sapiens Karli sapit hyperaspistes,
Insulsum lepido satagit seponere dicto;
25 Sed cum Maeonius modicum dormitet Homerus,
Intentus variis dormit decurio curis,
Praeterit ex miris miranda, stupenda stupendis.
Diducit mentem per plurima deficientem,
Rhetoricos flores et Aristotelis legit artes,
30 Alta quibus Magni mens arsit dedita Karli,
Esset, quod tanto dignum proferret alumno,
Demonstrativum genus enthymemaque curvum.
Scribendi cachectes scriptis digna tacentes
Ambo licet cessent, tamen orbis signa recenset,
35 Patres quae memores mittunt ad posteriores.
Pro foribus templi pendebant vincula ferri
Per tanti meritum manibus resoluta reorum,
Pendebant tritae, quae dissiluere, catenae,
Esseda, lecticae, pilenta, petorrita, raedae,
40 Ex cera mappae membrorum pollice tractae. f. 82r
Non iuga multa boum possent deferre refixum,
Quod fuit affixum, tot signorum monimentum.
Visitat inde locum Germania, Gallia nostrum
Hebdomada celebri descensu pneumatis alti,
45 Cum per quadrifidi transcursum confluat anni.
XXV. Sed nos digressi repetamus coepta regressi.
In lychnis oleum pendens patris ante sepulcrum
Noctem devicit, nox id fuscare nequivit.
Solis in occubitu, solari fulsit in ortu,
50 Inter missarum sollemnia crevit in altum,
Ebullivit, humum madefecit margine fusum;
Exceptum phialis est, ampullis hyalinis,
Est pro divina dispensatum medicina.
Nec frustrata fides est, morbos expulit omnes.

23 Alcuuin — yperaspistes *GT* 25 Meonius *GT* 27 Preterit *GT* 33 cachetes *GT* 38 tricae *GT* 39 redae *GT* 44 Ebdomada *GT* 46 caepta *G* cepta *T* 47 sepulchrum *G* 50 solempnia *GT* 52 Excaeptum *G* phyalis — yalynis *GT*

55 Non Sarepteni sic iuvit stilla lecythi: —
Haec typicam viduam typicumque refovit Heliam,
Summum mysterium, cibus, unctio, vita duorum,
Sed nil praesidii, nil roboris attulit ulli, —
Hoc reparata salus est unguine, morbus abactus.
60 Manat ibi iugis fons, dives vena salutis,
Fons, inquam, vivus Wilbrordi vivida virtus.

XXVI. Est quaedam membris huc femina vecta solutis:
Annis septenis in ea viror aruit omnis,
Est vigor absumptus, corpus iacuit quasi funus,
65 Non ullum membrum vixit nisi pectus anhelum,
Spiritus hic tenuis movit loca diruta cordis.
Est prostrata solo cum singultu lacrimoso,
Sensu, quo valuit, devota precamina fudit, f. 82v
Corde magis tacito, quam linguae deside plectro.
70 Exauditam se sensit redeunte vigore:
Sunt eius plantae dicto citius solidatae,
Vitalis rediit calor et vitalia fovit,
Firma iunctura sunt praedita membra soluta,
Incolumis surgit nec sustentacula quaerit.
75 Quae fuerit, quae sit, miratur, laeta recedit,
Sana terit terram non tanto tempore tactam,
Exilit his gerulis, quibus est advecta, relictis.
Est itidem clarum signum clare celebratum
Par apud Hipponem signo quod claruit urbem,
80 Quale refert Augustinus, symmysta peritus.
Civis Caesareae mater celeberrima prole
Progenuit denos aluitque sub ubere natos,
Septenos flores iuvenum ternasque sorores.
Sed sibi dum fidum sepelisset maesta maritum,
85 Est ab eis offensa; furoris vi stimulata
Mentem maternam mutans, imitata novercam

55 Sareptheni *GT* iuvat *T* lechyti *GT* 56 Helyam *GT* 57 cybus *GT* 58 presidii *G* 62 quedam *T* faemina *G* 68 voluit *T* 73 predita *GT* 74 querit *T* 75 leta *GT* recaedit *G* secedit *T* 79 Ypponem *GT* 80 symmista *T* 81 Cesareae *GT* 84 mesta *GT*

Virosa lingua congessit in hos maledicta.
Et quasi viperei daret his adipata veneni,
Artubus in totis tremuere stupore tremoris:
90 Nulla quies motus, dilatio, non modus ullus.
Extorres patria pertransierant peregrina
Horrida divinae spectacula gentibus irae.
Ex his Hipponi soror et frater reparati
Natis ecclesiae mentis iubilum peperere.
95 His quidam similis tremula compagine carnis
Pluribus exactis tot fractus motibus annis f. 83r
Epternach vectus secus est altare locatus.
Urbis totius venit plebs atque senatus,
Vidit, tam diram timuit sibi vindicis iram:
100 Ancipiti cervice rotat caput aeger, anhelat,
Organa membrorum ratione vacant numerorum,
Totus concutitur, quasi mortuus esse videtur
Mortis deceptus spe, sandapilam sibi nactus.
Sed dum sic tremuit, dum flevit et in prece mansit,
105 Horae momento surrexit somate sano,
Convaluit, tremuli sunt artus consolidati.
Elicuit lacrimas pro se solventibus odas,
Hymnum concinuit, sua sospes tecta revisit.
XXVII. Sed sub navifragas Cilicum divertimus oras,
110 Tendimus ex laetis in tristia tramite mentis.
Non erat in mundo monachilis honestior ordo,
Regula non potior, nusquam discretio maior:
Ex patre ceu didicit, concors ita contio vixit.
Sed quia mixta bonis mala sunt obscuraque claris,
115 Fur in apostolico quasi Iudas ordine summo,
Sic lupus inter oves latuit latro spirituales,
Vas ignominiae, sed functus honore Levitae.
Non vetuit furem Zachariae grande volumen,
Tensum per latum spatio denum cubitorum

90 dilacio *GT* 93 Ypponi *G* Yppom *T* 94 aecclesiae *G* 98 tocius *G* 100 eger *G* 103 decaeptus *G* scandapilam *G* 104 Sed tum *T* 105 semate *GT* 108 Ymnum *GT* concinit *T* 112 discrecio *T* 113 concio *GT* 119 spacio *G*

120 Ac vicenorum per longum mystice scriptûm,
Una sub decade praesignans prospera quaeque,
In binis meritas duplici pro crimine poenas.
Socors non legit, non novit, noscere sprevit,
Non meminit, quod ibi maledictio scripta sit omnis f. 83v
125 Omni periuro, Caco, tria nomina nacto,
Nec deradatur, sed, ubi sit fur, gradiatur,
Ligna domus, lapides consumat, limina, postes.
Non scelus hoc veritus studuit committere maius;
Nam convasatis ornamentis pretiosis,
130 Nil velut egisset, nec suspendi meruisset,
Pressus mole gravi se depressit graviori
Subripuitque crucem gemmis, auro renitentem,
Tanti gestamen patris, ornatum specialem.
Nec datus est furi locus haec sacra comminuendi,
135 Copia sacrilego non est concessa nefando,
Abdidit in latebris cleptim soli sibi notis.
Sed simul ac tanti patuit subreptio damni,
Grex doluit domini se suspitione notari,
Involvit tacito questus sub pectore motos,
140 Horruit horrendum scelus auctoremque scelestum,
Astutam vulpem, latitantem, dissimulantem,
Flevit sacrilegum, non vix reparabile damnum,
Vidit, non novit, non exhortamine movit;
Exhortari se, disquirere, quod latuit se,
145 Tristis cum tristi sedit patre spirituali.
Quid sit opus facto, tractatu consulit arto:
Promittit veniam metuenti prodere noxam,
Obsecrat, hortatur, reus ut crimen fateatur,
Detegat occultum thesaurum sanctificatum.
150 Tandem celantem nec fassum censuit hostem:
Est interdictus locus huic, communio victus,
Est et ab officio suspensus et ordine sacro, f. 84r
Est et maranatha super illum, mors, anathema.

121 presignans *G* 122 paenas *G* 129 preciosis *G* 132 *an* auroque nitentem? 137 dampni *GT* 138 suspicione *T* suspicione *G* 139 quaestus *G* 142 dampnum *GT* 150 caelantem *G* 153 Esset *GT* *an recte?*

Non tamen est tristis visus derisor Anubis,
155 Derisit monitus scelerum sub gurgite mersus.
Esuriit: vetitam moriturus venit ad escam,
Fudit cum sanna transgressor inania dicta:
'Num mihi, ne vescar neque potem, praecipit abbas?
Deputo pro nihilo: comedam, potu satiabor.'
160 Gustavit, cecidit, periit, tamen ante retexit
Omne, quod occuluit, Phlegethontis stagna subivit.
Hac coenobitae nece formidate perire!
Quid nomen vestrum Graio de nomine flexum,
Quid sit, quid moneat, prudentia vestra revolvat.
165 In commune piam, concordem ducite vitam,
Zelotypae Phariae cum Ioseph linquite vestem,
Nec, quae sufflastis, quae fugistis, repetatis,
Illud apostolicum taciti perpendite dictum:
'Sum mundo, mundus mihi mortuus et crucifixus.'
170 Non videt exanimem neque scit caro mortua carnem,
Sic nec vos mundus, nec vos cognoscite mundum.
Noveritis monachum divina monade dictum.
In vobis monas sit, non sit linea dyas,
Non, nisi quae prodit hinc, quam dilectio tendit.
175 Ex 'uno' dictis non sit divisio mentis.
Nil vos curetis de mundo, nil adametis,
Nil mundus curet de vobis, nil amet, optet.
Perfecti monachi refert despectio mundi,
Defleat ut se, defleat humanum genus omne.
180 Omnia sancta decent vos, furtum non sit apud vos, f. 84v
Non Achar lateat, nihil ex anathemate tangat,
Ne lerechuntinae fuscetur gloria palmae:
Saxis contusus sit in Achor valle sepultus.
Nulla sit inter vos fraus, non sit avaritiae sors,
185 Ne lepra Giezi maculetur contio vestri.
Officiosa sui nil sedulitas Elisaei,
Nil amor impensus, nil profuit obsequii ius:

156 aescam *G* 158 precipit *GT* 159 saciabor *GT* 161 Flegetontis *GT* 162 caenobitae *G* cenob. *T* 173 nobis *T* 177 nobis *T* 184 avariciae *G* 185 Gyezi — concio *GT* 186 Helysei *GT* 187 inpensus *G*

Subditus est poenae cum tota posteritate
Quam grave sit vitium, perpendite, quam sit iniquum,
190 Pro quo sic fidum damnavit amicus amicum.
Sit zelus Petri cupidis fraudare timori:
Dorcadis extinctae reparavit soma Thabitae,
Ense sui verbi duo stravit somata morti,
Perculit Ananiam cum compeccante Saphira
195 Exemplum statuens, technas vitetis ut omnes.
Esse nequit monachus, cui Petri displicet actus.
Qui se seducit, qui cogitat aut ita garrit:
'Non puto sacrilegum, qui nummum subripit unum
Aut plures et tus, candelas, est quibus usus:
200 Militat altari, licet ex hoc participari.'
Nil sapit hic, qui sic sapit et discrimina nescit.
Non probat hoc Paulus, non Flaccus carmine clarus.
Tetrastichon Flacci breve, qui sic desipis, audi:
'Tu nihil admittes in te formidine poenae,
205 Sit spes fallendi, miscebis sacra profanis.
Nam de mille fabae modium cum subripis unum,
Damnum est, non facinus mihi pacto lenius isto.'
Hoc adverte, time, convertere, fur, resipisce. f.85 r
Non lege de sacro sacrum, non esto Celaeno,
210 Non rape, non sacrum de sacro, non cape sacrum,
Quod te non sacro cupis occultare locello.
Nil omnino velis, quod obesse reo tibi credis,
Nil habeas, cupias, nisi quod tibi regula donat.
Paulus in altari vult mysteriis satiari
215 Clam nihil auferri, sed sacrilegos removeri,
Ac de communi concessis sumptibus uti.
Omnis sacrilegus Plutonis victima factus
Trusus in interitum cadit in barathri cruciatum.
Hoc vitate, mei domini, fratres et amici!

188 penae *G* pene *T* 190 dampnavit *GT* 192 extinctae *GT* 194 Ananyam *GT* comprecante *T* Saphyra *GT* 195 tegnas *GT* 199 thus *GT* 203 Tetrastychon *GT* 204 paenae *G* penae *T* 205 prophanis *GT* 207 Dampnum *GT* 209 Celeno *GT* 211 te] de *GT* 214 saciari *GT* 215. 216 *an transponendi?* 218 baratri *GT*

220 Emundate domum, ne sit spelunca latronum,
Ne vos vendentes deus inveniens et ementes
Restibus excutiat, vitae de limine trudat.
XXVIII. Sed quia nos poti vappa sumus acris aceti,
Divertamus, ubi redolent cellaria vini.
225 Annua Wilgisli rediit celebratio festi:
Officio celebri laus solvitur eius honori,
Grex dulcis nati dat dulci chroma parenti.
Sed dum consuetae peteret sollemnia mensae,
Non, quo gaudet cor, suffecit viteus humor,
230 Nil habuit vacuus praeter duo vascula promus,
Vascula de virgis lentis conserta salignis;
Ex his est bibitum, cenae minus inde relictum.
Sed vespertinis celebratis dulcibus hymnis
Accit Adelbertus coenobitas hegumenus,
235 Roborat alloquio concordia corda paterno:
'Filioli dominique mei, sitis benedicti! f. 85v
Non sitis maesti, non desint gaudia menti,
Non dolor afficiat quis vitae panis abundat.
Vivite spiritui, non cor substernite carni,
240 Prospera non inflent, non vos adversa fatigent.
Non animi levitas, non vos unavit egestas,
Non ad delicias huc convenistis opimas,
Sed perferre famem, sitis aestum, damna, laborem.
Est deus in vobis, in eo sitis, maneatis.
245 Patris patroni colitis sollemnia nostri,
Pensum solvistis, plenas epulas meruistis,
Sed nil est villi, vix possunt guttura tingi.
Non desperetis, non murmure vos maculetis.
Filius huius eri, Wilbrordus, gloria caeli,
250 Vina propinavit, quae non natura creavit;
Sed fidei meritum, pia mens, cor dulce, serenum
Sic potis est modici guttas augere lyaei.'

222 excuciat *G* excruciat *T* 223 acaeti *G* 227 croma *GT* 228 sollempnia *GT* 232 caenae *G* 233 ymnis *GT* 234 caenobitas *G* cenob. *T* ygumenus *GT* 237 mesti *GT* 241 animis *T* 242 delitias *G* 243 famen *T* dampna *GT* 244 nobis *T* 244 solempnia *GT* 252 lyei *GT*

Corda senex pavit, vinum vitis sator auxit:
Ut fons emanat, modicus sic potus inundat.
255 Inde propinatur, fraterna cohors satiatur,
Non exhauritur vas, sed plenum reperitur.
Laus patri, proli datur et deitatis honori;
Hesperus hinc omnes invenit, liquit ovantes.
Sed dum mira cano, mirabiliora revolvo.
260 Est hic par superae summis primatibus aulae,
Egit, agit linguis vix enucleanda peritis.
Arida ligna solo plantavit granaque duro,
Non circumfodit, nullo laetamine fovit,
Non infudit aquam studiosus aquarius unquam: f. 86r
265 Extra naturae fines haec convaluere,
Radicant, frondent, maturo germine florent,
Ariditas cessat, viror intrat, sucus abundat;
Fructus cum foliis aegris medicantur anhelis
Et mirum constat, quod per tot saecula durant,
270 Nunquam deficiunt sua nec ramalia perdunt.
Quid de salvificis eius queo pangere lectis,
In quibus accubuit, quos fletu nocte sacravit?
Non ut nunc mos est, sic usus deliciis est.
Nunc res pontificum superant res, culmina regum,
275 Pollent divitiis, quibus obstruitur via mentis,
Ne volitet susum, sed eat per devia iusum.
Distenti dapibus, quas saltus alit, mare, tellus,
Mollibus in stratis recubant, tectis laqueatis,
Pausant, non vigilant, hymnos cum passere cantant,
280 Obliviscuntur, quod sunt, dicuntur, habentur;
Non tamen hoc omnes, sed laeva, levis quibus est mens.
Non sic ille suae rexit moderamina vitae,
Oppugnavit se, devicit et edomuit se
Pernoctando famemque, sitim, frigus patiendo.
285 Sunt sibi lecticae secus arae pegma locatae,
Fessus ut in gradibus surgens ibi poneret artus

255 saciatur *GT* 263 letamine *T* 267 succus *T* 268 egris *G* 269 secula *T* 275 diviciis *GT* 276 iusum] visum *T* 279 ymnos *GT* 281 leva *GT* 284 paciendo *GT*

Conivensque parum consurgeret ad precis usum:
Sunt ubicumque, carent carie, tineae genus arcent,
Solvit peste gravi gingivas astula ligni;
290 Non fere quingentis stramen dissolvitur annis,
Non est contusum, non ariditate minutum,
Nullum paedorem, sed aromatis efflat odorem, f. 86v
Est medicina dei poscenti cuique fideli.
XXX. Tentus adhuc fragilis mortali compede carnis
295 Iunxit Amalbergam Christo cum chrismate sponsam.
Virgine de tanta menti libet edere pauca.
Nobilior toto non vixit 'bethula' mundo.
Ablactata cibum solidum vult mandere Christum,
Omne puellaris vitium vitat levitatis,
300 Virginibus castis formam parit integritatis.
Non ut Dina foris spectat matres regionis,
Ne princeps Sichem sibi tollat virginitatem,
Carnem mente domat, loca sanctificata frequentat,
Quicquid in ecclesia videt, explet in aede paterna.
305 Floribus et pomis vernant pomeria patris:
Hic altare deo dicat alma puerpera virgo,
Punica mala, nuces offert, thymiamata, flores.
Sed genitor mortis, vitae ferus invidet hostis,
Cuius ob invidiam mors sorbuit invida terram,
310 Livor edax peperit mortem vitamque peremit.
Auctor peccati struit insidias pietati,
Ex pueris puerum fur furto polluit unum,
Impulit eulogias invadere sacrificatas.
Sed dum consentit, dum dextram pusio tendit,
315 Ultio protensum punit divina lacertum:
Herma durior est factus, quasi dura silex est,
Non potuit retrahi, non deponi neque flecti.
Stat reus attonitus divina compede vinctus,
Eiulat, exclamat, sua se mens conscia damnat,

288 ubicunque *T* 291 aviditate *T* 292 pedorem *GT*
293 Eest (*sic!*) *G* 295 crismate *GT* 301 Dyna *GT*
302 Sychem *GT* 304 quidquid *T* aecclesia *G* ede *T*
305 *an* pomaria? 307 thimiamata *G* 311 insydias *GT*
315 Ulcio *GT* 319 dampnat *GT*

320 Mallet defungi, quam sic divinitus angi. f. 87r
Accurrunt celeres socii maestique parentes,
Effundunt questus et ab imo pectore fletus,
Virginis eximiae flent iram se meruisse,
Orant, ut captum solvat laxetque reatum.
325 Nil clementius est, quam mitis virginitas est.
Virgo preces fundit, deus audit, homuncio plaudit,
Incolumis iubilat, domini magnalia laudat.
Noti, cognati gaudent de virgine tali,
Virgineum florem venerantur et eius odorem.
330 Nec longum spatium defluxit temporis actum,
Divertit notam Wilbrord patris eius in aulam,
Epternacensem dum festinaret ad urbem;
Accepit dignum veterem vetus hospes amicum
Et studuit varia fastidia vincere mensa,
335 Pavit carnali dape pastus spirituali,
Filiolae dictum pandit mirabile signum.
Praesul dulcis avet, praeconia virginis auget,
Oscula praelibat, divino chrismate firmat,
Mulcet eam verbis pietatis melle refertis:
340 'O quam felix es, quae sponsa dei locuples es,
Desponsata prius, regeret quam spiritus artus,
Ante placens summo sponso, quam condita mundo.
Tale nihil merui, qui Christo, non mihi vixi,
Confectum senio praecellis, caelica virgo.
345 Cum Tecla vernes, valeas, sis talis ut Agnes,
Optima cum dia sit pars tua matre Maria!'
Nec fore pontificis benedictio quivit inanis;
Nam nihil omnino studuit nisi vivere Christo. f. 87v
Et cum crevisset, pro tempore nubilis esset,
350 Karolus accensus rex arsit amoribus eius,
Karolus, omne decus regum, cognomine Magnus.
Hortamenta, preces, ut inops, descendit in omnes,

321 mestique *GT* 326 homuntio *GT* 330 spacium *GT* 333 Accaepit *G* 337 Presul — preconia *GT* 338 prelibat — crismate *GT* 344 precellis *GT* celica *T* 345 teda *T* 346 dya *GT*

Omnes vovit opes et fasces imperiales,
Quo sibi coniugi vellet regina dicari;
355 Sed munita sui non cessit casside sponsi,
Non cor apposuit, regni diadema refellit,
Sprevit blanditias, terrores hostis et hastas,
Fugit ut accipitrem sine felle columba rapacem.
Omnibus invictus rex est a virgine victus.
360 Victrix hymnizat, virtutibus altius instat.
Cumque laboraret, carnem vigilando domaret,
Subrepsit somnus, defessos fluxit in artus:
Astitit eximius Wilbrord sub horamate visus, —
Est Gertrudis eum comitata, corona sororum, —
365 Sacravit velum, caput obvolvit reverendum,
Humanae vitae praedicit ei brevitatem,
Nosset ut exactis se solvendam tribus annis,
Ad sponsi vultum deducendam speculandum.
Evigilans virgo sacro dedit oscula panno,
370 Infudit lacrimis imo de corde petitis.
O patrem lepidum, summi sponsi paranymphum!
Sponsam despondit, dum carnis lemmata gessit,
Sed confirmavit, simul ac caelos penetravit,
Non hanc deseruit, donec sponso copulavit.
375 Sed moror in magnis, restant maiora relatis.

IV.

XXXI. Est secus aequoreas campus compascuus undas, f. 88r
Longe protractus, spatioso margine latus,
Almi Wilbrordi iam subiectus dicioni,
Grata quies lassis ventoso turbine nautis.

353 novit *T* 354 *an* coniugii? *sc.* regina 356 dyadema *GT* 359 invinctus *G* 360 ymnizat *GT* 363 oromate *GT* 366 predicit *GT* 373 callos *T* *post v.* 375 Explicit liber tertius *T* *in G subscriptio deest, ea de causa, ut videtur, quod pagina erat plena.*

Incipit liber quartus *GT* 2 spacioso *GT* 3 ditioni *GT*

5 Hic exoptata fessi potiuntur harena,
Artus tabentes sale siccant solis ad ignes,
Laesa fatiscentis reparant aplustria navis,
Exercent variis avide commercia lucris,
Expectant faciles cursus ventosque ferentes,
10 Diversum laeto pecus impinguatur in ervo.
Sed cum tanta locus fert commoda deliciosus,
Effundens fluctus solvit confinia pontus,
Monstriferos agit unda sinus, motus furit aestus,
In se sorbet humum, caespes fit inutile stagnum.
15 Pascua laeta latent, iumenta famelica maerent,
Nautica turba dolet, habitatores timor urguet:
Ignorant, quid agant, quid consilii sibi sumant. f. 88v
Conveniunt, tractant et convenientia laudant,
Decernunt iusta discernere monomachia,
20 Praesulis an ponti summersa sit area campi.
Prosiliunt pugiles bis seni mentibus acres,
Viribus insignes, patriae munimina, flores,
Causam qui dubiam reddant discrimine certam.
Praeludunt, saltant alternaque brachia iactant,
25 Immiscere manus manibus parat aemula virtus.
Sex pro iure patris iurant ritu regionis;
Sed iuramentum dum coepit in ore loquentum,
Erubuit liquidum vinci metuens elementum,
Fugit et amovit fluctus refluosque retorsit,
30 Victum subripuit se, vasto gurgite mersit.
Arvum convaluit, viruit, nunc usque virescit,
Pascit ut ante boves palearia crassa trahentes.
O cor humanum, quam durum, quam grave, brutum!
Nil est, quod vitet, sed, quicquid cogitat, implet.
35 Non perversus agit homo, quod fluctus maris egit,
Deierat et fallit, periuria suscipit, audit,
Quod scit, scire negat, sibi credita tradita iurat:

7 lesa *T* laeta *G* 8 commertia *G* 9 facile *T* 10 leto *T* inpinguatur *GT* 14 cespis *GT* 15 leta *T* merent *GT* 19 monomachya *GT* 20 Presulis *GT* 24 Preludunt *GT* 25 Inmiscere *GT* emula *G* 27 caepit *G* cepit *T* 34 quidquid *T*

Per iusiurandum vicini possidet agrum.
Non Thetis hoc gessit, non audiit, ante recessit,
40 Nec pro se creperum voluit spectare duellum.
Et liquet expertum Nerei per litóra certum
Dulcem Wilbrordum speciali munere functum
Posse suis meritis ratibus succurrere fessis.
Hinc solet ex virga mali pendere crumena,
45 In quam congeritur, quod tempestate vovetur, f. 89r
Cumque piis precibus compressus cesserit aestus,
Ac steterint tutae puppes solita statione,
Aut datur ecclesiis aut infirmis vel egenis.
XXXII. Spes desperatis Wilbrord est, ancora nautis.
50 Quod cum notum sit, probo carmine, notius ut sit,
Urbeque de clara personam deligo claram.
Hildricus Trevir, cleri decus, egregius vir,
Ivit Hierusalem per navim, pacis ad urbem,
Anastasi celebrem salvatoris, David arcem.
55 Cumque sui comites laxassent vela, rudentes,
Incubuere mari facto velut agmine venti:
Nullus in Aeolii remoratur carcere saxi,
Excutiunt aestus, volvunt ad litora fluctus.
Aequora rapta ferunt metuendaque fulgura currunt
60 Atque ruunt toto concita pericula mundo.
Tanguntur velis nubes et terra carinis,
Intentant nautis haec omnia vulnera mortis.
In tanta plaga solvuntur frigore membra,
Ora manusque levant, precibus, clamoribus instant.
65 Trevir caelestes orat per nomina cives:
Sed Iesus dormit, tempestas horrida saevit.
Ex Morinis pavidus stetit in rate clericus ortus
Ac Willibrordi monuit nomen recitari,
Annua tunc cuius coluit sollemnia mundus.
70 Exclamant ambo nomenque cient patris ambo
Et, quanti meriti sit, mundo panditur omni:

41 littora *GT* 44 crumina *GT* 48 aecclesiis *G* 49 anchora *GT* 50 nocius *GT* 54 Anastasy *GT* 55 Dumque *T* 57 Eolii *GT* removatur *T* 58 estus *T* littora *G* 65 celestes *T* 66 sevit *T* 69 solempnia *GT*

Excitus a somno deus imperat Ennosigaeo,
Imperat et ventis; placido volat aequore classis f. 89v
Ac per iter brevius defertur in ostia portus.
75 XXXIII. Est pius et clemens Wilbrord cognomine Clemens.
Astat supplicibus, favet his auditque precatus,
Odit praedones res ecclesiae rapientes,
Sunt his ingestae per eum pro crimine poenae.
Est has excerptas percurrere prompta voluntas,
80 Sed mandare stilo tot barbara nomina vito.
XXXIV. Anno milleno trigeno simplice primo,
Ex quo non factum verbum patris est caro factum,
Dulce decus monachis Humbert, vir spiritualis,
Artus mirifici statuit transferre patroni.
85 Accivit proceres opibus, virtute potentes,
Pontificum gemmam, te dium, Poppo, hierarcham
Heinricumque ducem, cui Norica gens dat honorem.
Sunt omnes valvae per firma repagula clausae,
Sunt designati fossores corpore casti.
90 Sed cum Thitmarus nocturno phasmate tactus
Nescius ancipitem vellet librare bipennem,
Brachia non potuit deponere, palluit, haesit.
Est monitus tacitum non dissimulare reatum,
Est quia velle mori delictum nolle fateri,
95 Sed cum nesciret, quid de se prodere posset,
Abstitit, exivit: polluta sarabara vidit;
Ingemuit, lavit, quod liquit opus, repetivit.
Non accessisset, si delicti meminisset.
Nam quot sunt fluxus, tot dat natura meatus,
100 Os, oculos, aures, penem cum podice, nares:
Humor congestus petit hos a carne recessus. f. 90r
Non vitium constat, nisi delectatio gignat:
Hac expers iuvenis studium subiit probitatis.
Egesta cryptae tres sunt tellure repertae,

72 Ennosygeo *GT* 77 predones *GT* aecclesiae *G* 78 penae *GT* 86 dyum *GT* 92 hesit *T* 100 penem cum podice *om.* *T* 104 criptae *GT*

105 Tertia thesaurum tenuit, pignus pretiosum,
Palliolo tectum texto subtemine Serum. —
Hoc incorruptum, nullo senio vitiatum
Pendet praecipuis inter nova pallia festis
Contra naturam per tot durabile saecla. —
110 Accessit propius decus omne suis hegumenus,
Fletus effudit, precibus suspiria iunxit,
Inclinavit se, relevato marmore tumbae
Vidit soma sacrum non in cinerem resolutum,
Non putre, corruptum, non vermis fauce minutum,
115 Sed sanum per se, non carnis condicione,
Indutum pulla monachili more cuculla
Contextaque pilis hirsuta veste caprinis
Ad debellandam mentem carnemque domandam.
Pressit aromaticus cernentis lumina fumus.
120 Extraxit costam pro sacris distribuendam,
Palluit attonitus, dolor eius terruit artus:
Est odor emissus, velut esset ibi paradisus.
Advenit morbis quidam confectus et annis,
Clarus militia, dum militis induit arma,
125 Sed, vexilla ferens cum sterneret acrius hostes,
Lapsus equo iacuit prolapsaque viscera luxit
Nec medicina gravi potuit prodesse dolori.
Assumpta Christi cruce liquit inania mundi
Pignoribus geminis oblatis ante modestis. f. 90v
130 Hic prostratus humi petit intestina refundi;
Nec defraudatus brevis utilitate precatus
Membra pavimento dum subrigit aegra tremendo,
Inscius in tumba collisit posteriora,
Attrivit modice, virtutem sensit adesse:
135 Sunt in sede sua vitalia lapsa locata,
In ventris theca sunt abdita, sunt solidata.
Sospes avet, plaudit laudumque quilismata pangit,
Cum coetu populi canit inclita contio cleri.

105 Tercia *GT* preciosum *GT* 108 precipuis *GT* 109 secla *GT* 110 ygumenus *GT* 122 paradysus *GT* 124 milicia *GT* 132 egra *GT* 138 caetu *G* cetu *T* inclyta concio *GT*

Arca dei vivi transfertur soma patroni,
140 Arae sub mensa caelestis ponitur arca,
Arae, quae regi trino titulatur et uni:
Hic moritur morbus, hic surgit gratia, virtus;
Signa poli stellis, maris exaequantur harenis.
XXXV. Sed gens his donis felicior est Walichrensis.
145 Est quia cervicis durae, gravis asperitatis,
Est ut spuma maris, sequitur mare turbine mentis,
Non ullis dominis, non legibus angitur ullis,
Nil est, quod timeat, nisi per miracula discat:
Crebrius hinc fiunt ibi, corda ferocia stringunt.
150 Praeses Flandrensis Rupertus strenuus armis
In Walichrum stimulis agitatus et igne furoris
Extremos hominum Morinos contraxit in unum,
Teutonicos agiles, robustos, viribus acres.
Ter denas fortes sibi delegit legiones,
155 Traiecit turmas per Scaldae fluminis undas,
Terribilis venit, miserabilis inde recessit,
Flamma sub accessu, vapor et fuligo recessu. f. 91r
Nam cum Walchrenses tria milia vix numerantes
Pacem quaesissent prece, sed non optinuissent,
160 Introiere sacrum Wilbrordi sanguine templum.
Sunt quasi praesenti questi secumque loquenti,
Questi sunt odium non exorabile, bellum,
Dextris elatis censum vovere quotannis,
Si salvarentur, victores efficerentur.
165 Nec mora, digressi sacramentis satiati
Igne calent fidei statuuntque ducem sibi belli
Patroni capsam vexilli fronte locatam.
Cursim procurrunt, solem post dorsa relinquunt,
Ne sibi prospectus tollatur et ensibus ictus.
170 Lorica nullus se munit, casside nullus;
Armis plus domini quam materialibus usi
Nemo fugam turpem versat, non proditionem:

140 celestis *T* 141 tytulatur *GT* 143 exequantur *T*
150 Preses *GT* 153 Teuthonicos *GT* 161 presenti *GT*
165 saciati *GT*

Dulce mori mentes subiit patriae per amorem.
At Morini saliunt de navibus, agmina iungunt,
175 Aptant loricas aeratas, vertice cristas,
Prospiciunt paucos hostes et corpore nudos,
Spernunt ut mures ex antris prosilientes,
Nil nisi magnificum sperant a hoste triumphum.
Tristis dum saevo dat signum bucina bello,
180 Accensis animis properans exercitus omnis
Compositus numero procedit et ordine certo.
Arva micant armis, ager horret ferreus hastis,
Ignescunt irae, sonat ingens clamor utrimque,
Concurrunt alae, ferro subtexitur aer,
185 Nox pendet campum telis conserta per amplum: f. 91v
Mortes inde cadunt, naturae vincula frangunt.
Est quota pars cladis iaculis exacta cruentis?
Internis odiis extractus sufficit ensis.
Cursu praecipiti volat agmen, mente feroci,
190 Agmen, spes cuius sub forti sedit et arcus,
In densos cuneos agitur quaerens iter ad cor.
Transfigit gladius tuto sub tegmine pectus,
Nil iuvat oppositis gravibus lorica catenis:
Altera pars duram patitur, gerit altera pugnam,
195 Indutos ferro dant nudi corpore leto.
Hinc bellum iugulis, gladiis hinc saevit acutis:
Inde modum caedes perdit, numerum morientes.
Sunt hi caedendo fessi, sunt hi patiendo.
Pauci semineces repetunt per vulnera naves,
200 In ratibus cecidere suis, cruor effluit undis,
Spumat et obductus concreto sanguine fluctus.
Perdidit haec acies procerum tibi, Flandria, flores,
Accipis hinc gravius, quam possis credere, vulnus,
Haec funesta dies validas rapuit tibi vires.
205 Est domini pennis tectus populus Walichrensis;

175 eratas *T* verticae *G* 179 sevo *T* 181 procaedit *G* 184 subtexituraer *T* 189 precipiti *GT* 191 querens *T* 193 appositis *T* 195 laeto *G* 196 sevit *T* 197 cedes *T* 198 cedendo *T* paciendo *GT* 199 seminices *G* 204 Hec *T*

Nam species niveae dignis est visa columbae
Expandisse suas super alas agminis alas.
Ales felle carens, tropico theoremate, candens —
Instar avis typicae Noe sub cataclysmate missae,
210 In decus ecclesiae quae ramum vexit olivae
Pacis, baptismi signum, charismatis alti —
Ales tanta volat, vires animumque ministrat
Nec prius abscedit, quam victrix turma recedit f. 92r
Absque sui damno laeto ditata tropaeo.
215 Sub damni specie soli tres oppetiere
Non nisi per proprium, ceu prodit fama, reatum.
Coetus convenit, cui sic victoria cessit,
Votum, quod vovit, confirmavit, renovavit.
Principis evicti vexilla dicavit honori
220 Wilbrordo patri, defensori speciali,
Epternach misit, servari missa petivit,
Essent ut tanti monimentum iuge triumphi.

XXXVI. Sed ceu res parvas reddit concordia magnas,
Sic facit ex magnis parvas discordia grandis.
225 Hoc bello populus concors, affectibus unus,
Victor ab externis versus vertigine bellis
In se convertit mucronem seque peremit,
Victrici dextra sua viscera fudit et exta.
Est intestinum confectum sanguine bellum;
230 Ex uno populo duo facti sub duce nullo
Interiere prope civili seditione.
Defessi tandem tot cladibus indoluere,
Epternacensem missi legantur in urbem,
Nomine Thifridum prece sollicitant hegumenum,
235 Exeat, acceleret, veniat pacemque reformet.
Assentit: remeant et nuntia laeta reportant.

207 agmine *T* 208 topyco *G T* 209 cataclismate *G T* 210 aecclesiae *G* 213 abscaedit — recaedit *G* 214 dampno *G T* leto *T* tropheo *G T* 215 dampni *G T* oppeciere *T* 217 Caetus *corr. ut videtur ex* Laetus *G* Cetus *T* cessit] caessit *G* 220 Wilbrordu *G* 234 ygumenum *G T* 236 leta *T*

Exultat populus, parat, est occurrere promptus,
Antwerpum properat portumque paronibus intrat,
Expectat biduo spe pendulus agmine laeto;
240 Sed cum forte moras in eundo necteret abbas,
Desperans doluit, tristis naves repetivit, f. 92v
Venturi fidis curam commisit amicis;
Cumque reliquisset litus, festinus abisset,
Omnimodis votis sic prodidit abdita cordis;
245 'O Wilbrorde, tuae pia viscera pande catervae!
Si dignaris oves invisere nos speciales,
Nobis indicium da non creperum, sed apertum:
Imbrem frugiferum fer nostris usibus aptum!'
Infit et intonuit laevum, fragor aequora movit,
250 Compressae nubes largos densantur in imbres
Spissataeque fluunt, extinguit fulgura nimbus.
Spes desperatis redit exclamare paratis:
'Nostra salus, salve, Wilbrord, confidimus in te,
Credimus, ecce, venis, tibi litora fida subibis.'
255 Imbre madet classis, portum subit artubus udis.
Vix se quisque domi siccat, dat membra sopori,
Venit in emporium mandrita Thifrid memoratum.
Est tractatus ibi velut angelus in vice Christi,
Pacificavit ibi discordes pace perenni.
260 Est hinc optatum transvectus remige portum,
Applicuit, multus fit per navalia cursus,
Insula divino ruit obvia tota ministro,
Chroma decens cecinit, sua sic in moenia duxit,
'Deservivit ei Romanorum quasi regi.
265 Cumque iubar solis removeret nubila noctis,
Primores patriae properant populo comitante,
Astant barbarico reverenter more represso
Instituuntque statum rerum reparare novarum.
Sed ceu quos bellum navale perurguet agendum, f. 93r
270 Per mare tranquillum pugnae simulant quasi ludum,

239 leto *T* 249 levum — equora *T* 254 littora *G* 255 artibus *T* 256 sapori *GT* 263 Croma *GT* maenia *G* menia *T*

Remos, arma parant, variis discursibus instant:
Sic primum parvis placuit praeludere causis.
Divitis ecce pedes quidam complectitur exspes,
Strictius astringit, veniam petit, oscula figit,
275 Ense virum tantum dolet a se paene peremptum.
Verna dei properat, pro supplice sternitur, orat,
Pontificis baculum civem locat ante protervum,
Optestatur, ut in se versus discutiat se,
Ut dimittatur, dimittat, compatiatur.
280 Astantes rogitant, negitantem voce fatigant:
Cor adamantinum, cor non mollitur iniquum,
Exiit, erupit, celer ad sua tecta recurrit.
Sed non evasit, hunc ultio debita stravit,
Zabulus invasit, vexavit eum, cruciavit;
285 Nullius sexus irrupit saevior artus,
Verberibus, stimulis quatit interiora furentis,
Est sonus auditus, quasi venter perferat ictus,
Costae quassantur, ceu vecti percutiantur:
Bacchatur demens et supplicium luit ingens.
290 Est grandis luctus terrorque parentibus ortus,
Exorant domini vernam miseri misereri.
Exsurgit, sontem visit sine mente iacentem,
Ponit scriniolum super eius pectus anhelum.
Fugit daemonium tanto sub pondere tortum,
295 Sensit ibi costam Wilbrordi somate sumptam,
Possessum liquit, Phlegethontis stagna revisit.
Aeger convaluit, domus et vicinia plaudit. f. 93v
Ex simili culpa fit signum dispare poena.
Ante pedes iuvenis cecidit pauper locupletis,
300 Inflixit vulnus cui mentis turbine motus,
Expetit ignosci sibi, corde reconciliari.
Assilit Ekardus, prius ex primoribus unus,
Sed tunc eximius monachus mundo crucifixus;
Interpres promptae fretus ratione loquelae

272 preludere *GT* 273 expes *GT* 275 pene *GT* 285 inrupit *G* sevior *T* 289 Bachatur *GT* 292 Exurgit *GT* 294 demonium *GT* 295 semate *GT* *an recte?* 296 Flegetontis *GT* 297 Eger *GT* 298 paena *G*

305 Accurrit, iacet in terra cum vindice virga,
Obsecrat, increpat, adiurat: lapis ille refutat,
Exiliit, fugit; deus eius lumina clausit,
Amisit visum, stetit horrens tendere gressum,
Offensis pedibus graditur nullo duce ductus,
310 Impingit titubans, impingitur undique pulpans.
Occurrit caeco pater eius pectore maesto,
Erubuit, fudit lacrimas natumque reduxit.
Paenituit tiro, pacem donans inimico
Dimisit: vidit iubilansque domum repedavit.
315 Pulchra dies populo dedit haec spectacula duro,
Sunt ope divina quasi pacis semina iacta,
Mollitae mentes prius ursis asperiores,
Pulchrior exoritur lux, ⟨candida⟩ pax comitatur.
Prorumpunt ut apes propriis de sedibus omnes,
320 Omnes indigenae stant sicut in ordine stellae:
De rebus tantis tractant per acumina mentis.
Sunt utrimque dati septeni carne propinqui,
Primates generis; per eos fit pactio pacis;
Fit per mandritae comites ius scita scientes.
325 Longe semoti disquirunt seria soli f. 94r
Inventaque via redeunt, pandunt sibi visa.
Triginta libras censent solvi triplicatas,
Sanguinis ultori sontem pro milite tradi.
Est id consilio coeptum, reor, ingenioso:
330 Firmius ut pactum liget obsequiis stabilitum,
Est inopis miles factus versa vice dives,
Quod velut opprobrii fel mallet morte lucrari.
Est admirandum, subtili mente notandum,
Quod gens inmanis catulis aequanda leonis,
335 Gens, formidandi quam non domuere tyranni,
Simplicibus dictis est victa viri monachilis,
Paruit imperiis velut emptus verna iubentis

305 Accurrit *G corr. ex* Ecc. *ut videtur* 310 Inpingit *GT* 311 ceco *T* mesto *GT* 313 Penituit *T* tyro *GT* 316 ope] spe *T* 318 candida *om. codd.* 320 indegenae *T* 322 septem *T* 324 vis *T* 329 caeptum *G* ceptum *T* 332 approbrii *T* 333 ammirandum *GT* 334 equanda *T*

Et, ceu praesentem Wilbrordum carne videret,
Sic eius fidum stipavit honore ministrum.
340 Est cum privata pax publica consolidata:
Ira, simultates, odii cessere furores,
Copia de pleno cornu fruges dedit anno:
Exercentur ibi convivia, cantica, ludi.
Phoebe cum posuit bis flammas bisque recepit,
345 Compositis rebus remeavit ovans hegumenus;
Ad reditum pendere suum scit corda suorum,
Est ab eis dignis susceptus plausibus, hymnis.
Sed quia navifragis Nerei sum fessus in undis,
Udus suspiro delonge litore viso,
350 Allabor tacito propter fastidia signo,
Signo Wilbrordi gesto virtute potenti.
Est ibi commissum grave per tria nomina furtum,
Palliolum rapitur, crux argento spoliatur, f. 94v
Sed non conflari potuit fornace vel igni,
355 In partes sectum pondus non explicat aequum,
Pars sua cuique minor, litem parit altera maior;
Purpura non frangi manibus, non ense secari,
Forfice non scindi, nulla valet arte noceri.
Hoc praetermisso sub portu carbasa linquo,
360 Tanta tamen restant et famosissima constant,
Vatis Smyrnaei quae mens si nosset Homeri,
Vix caneret, licet Iliaden et Odyssea tractet.

338 presentem *GT* 344 Phaebe *G* Phebe *T* cum posuit] composuit *T* 345 ygumenus *GT* 347 ymnis *GT* 349 de longe littore *GT* 355 equum *T* 359 pretermisso *GT* 361 Smyrnei *GT* 362 Yliaden *GT* *post v.* 362 Explicit liber quartus *GT*.

COMMENTARIUS.

Prologus. (lib. I 1—16.)

Thiofridus conventuales Epternacenses alloquitur, quibus ut antea vitam Willibrordi prosaicam dedicaverat, ita nunc metricam commendat confidens se per illos a lividorum quorundam hominum invidia iri defensum.

v. 1 *crusma* non est cymbalum, ut Deckerus opinatur, sed modi musici, qui ad sonum instrumenti musici cuiuslibet canuntur. — v. 2 quodammodo in memoriam nostram revocavit initium prologi satirarum Persianarum: *Nec fonte labra prolui caballino,* quamquam non contendo Thiofrido illa verba ob oculos versata esse. — v. 3 cf. Hor. epist. II 1,177 *ventoso gloria curru* Verg. Aen. XI 708 *ventosa ferat cui gloria fraudem.* — v. 4 *hyperaspistes* proprie est satelles, corporis custos, qui corpus ducis clipeo tegit. Thiofridus autem hoc verbo eum significare videtur, qui in aula principis et circa personam eius versetur; idem igitur vult quod aulicus. — v. 5 *nostri patroni* sc. monasterii Epternacensis, cui Thiofridus praeerat abbas. — v. 7 Horat. sat. I 4,11 (Lucilius) *cum flueret lutulentus.* id. sat. I 10, 50 *at dixi flucre hunc* (Lucilium) *lutulentum.* — v. 9 Boeth. de cons. v. 2 *maestos cogor inire modos.* — v. 10 Horat. sat. I 10, 48 *neque ego illi* (Lucilio) *detrahere ausim haerentem capiti cum multa laude coronam*

cf. supra ad v. 7. — v. 14 psalm. 90 (91), 13 *super aspidem et basiliscum ambulabis.* ev. Luc. 10, 19. *ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones.* —

cap. I. (lib. I 16—57.)

Thiofridi argumentum*): *Quod sanctus Willibrordus sempiternae lucis filius mundo ante mystico oromate est cognitus, quam editus.* — Cf. Alcuin. vit. Will. I 2. II 33. 34. — Thiofridum simul et Alcuinum secutus est Theodericus in Chron. Epternacensi lib. I cap. 33 (M. G. SS. XXIII p. 45 lin. 50): *Anno incarnationis Domini 659 cum Clodoveus 8. regni ageret, beatus Willibrordus ex claris et religiosis parentibus in Northumbria, provintia Brittanniae insulae, est procreatus. Cuius necdum geniti tocius vitae status matri suae in incrementis lunaribus est revelatus. Qua enim nocte beaa soboles in utero eius concipiebatur, vidit in visione lunam in caelo quasi novam usque in plenam crescentem et in os eius subito lapsu ruentem totamque se intrinsecus vehementi splendore perfundentem. Quod confessa cuidam religioso presbitero, responsum accepit de concepto filio, quod magnus et illustris illuminator futurus esset Dei populo.*

v. 18 *quadrifidi cosmi* de quattuor caeli regionibus intellegendum. cf. Sedul. carm. pasch. V 188 sq.

Neve qius ignoret speciem crucis esse colendam,
Quae dominum portavit ovans, ratione potenti
Quattuor inde plagas quadrati colligat orbis.
Splendidus auctoris de vertice fulget eous,
Occiduo sacrae lambuntur sidere plantae
Arcton dextra tenet, medium laeva erigit axem. —

Britanni cf. Alcuin. v. W. I 1 init. *Fuit in Brittannia insula, provintia Northarhumbrana, quidam paterfamilias genere Saxo et nomine Wilgils.*

---

*) Haec argumenta, quae in fronte singulorum capitum posui, extant in indice capitulorum, quem Thiofridus Vitae Will. prosaicae praemisit.

v. 22 *carnis lemmata* ut infra III 8 carnem, quam 'animus assumpsit, i. e. corpus. est genetivus appositionis. — v. 23 cf. Cic. or. Philipp. II. XV 37 *omnem praeterea florem nobilitatis et iuventutis.* — v. 24 Lucan. VIII 73 *femina tantorum titulis insignis avorum.* — v. 25 Alcuin. v. W. I 2 *Nam vir venerabilis Wilgils..... ad hoc tantum Deo praedestinante matrimonio iunctus est, ut talis..... ex eo ederetur proles.* hinc apparet verba v. 26 *non aestu carnis e. q. s.* non ad matrem sed ad patrem respicere. — v. 28 Verg. Aen. V 721 *et Nox atra polum bigis subvecta tenebat.* — v. 31. 32 Alcuin. v. W. I 2 *videret lunam crescente illa usque dum plena videbatur esse.* — v. 32 *per zodiaci contermina zodia volvi:* per singula deinceps signa zodiaci inter se confinia migrare. — v. 34 Exod. 3, 2 *apparuitque ei dominus in flamma ignis de medio rubi; et videbat, quod rubus arderet et non comboreretur.* cf. Sedul. carm. pasch. I 111 *Ignibus innocuis flagrans apparuit olim non ardens ardere rubus.* — v. 36 Verg. Aen. V 432 *vastos quatit aeger anhelitus artus* cf. ibid. V 199. — — v. 37 Verg. Aen. V 200 *sudor fluit undique rivis.* — v. 40 *Leucothea:* Aurora cf. Ovid. fast. VI 545 *Leucothea Graiis, Matuta vocabere nostris.* — v. 41 Verg. Aen. VI 511 *scelus exitiale Lacaenae.* scelus Ambronum quale sit intellegendum, ignoro. — v. 42 *virtute rotundo* cf. infra ad I 197. — v. 43 Alcuin. v. W. I 2 *illoque* (presbytero) *interrogante, si ea nocte, qua ei visio facta est, suo more solito iungeretur viro, acceptaque ab ea eius rei confessione, ita respondit.* — v. 46 *chrysocomus*, graece χρυσόκομος auream comam habens. — v. 48 Malach. 4, 2 *et orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiae.* solem iustitiae scriptores eccl. Christum interpretantur. — v. 49 cf. Horat carm. I 12, 47 *velut inter ignes luna minores.* id. epod. 15,1 *caelo fulgebat luna sereno inter minora sidera.* — v. 50 Verg. Aen. III 637 IV 6

Phoebea lampas. — v. 52 cf. Martian. Cap. II 124 *perdia pernoxque sacris namque operata chartis.* — v. 55 *microcosmus:* homo cf. Isidor. orig. III 5, 3. XI 1, 16 id. de nat. rer. 9. — v. 57 Verg. ge. III 337 *roscida luna.*

cap. II. (lib. I 58—87.)

Thiofridi argumentum: *De eius nativitate et digna ortu suo educatione et oblatione.* — Cf. Alcuin vit. Will. I 3.

v. 59 *issa,* hebraice אִשָּׁה femina. *quod exit ab is* interpretatio etymologica in parenthesi addita respiciens ad Genes. 2, 23 *quoniam de viro sumpta est,* cuius nomen hebraicum אִישׁ. cf. Hieronym. quaest. hebr. in libro geneseos (ed. de Lagarde pag. 6): *non videtur in graeco et in latino sonare, cur mulier appelletur, quia ex viro sumpta sit, sed ἐτυμολογία in hebraeo sermone servatur. vir quippe vocatur his et mulier hissa. recte igitur ab his appellata est mulier hissa.* — v. 64 Sedul. carm. pasch. I 113 *edidit et serum suspendit ad ubera natum* cf. Sil. It. IV 379 *suspendit ab ubere natos.* — v. 66 *pane voluntatis, non pane doloris* similiter dictum atque interdum in libris sacris cf. ex. gr. Vulg. interpr. psalm. 126 (127), 2 *manducare panem doloris.* lib. I (III) Reg. 22, 27 *pane tribulationis.* psalm. 79 (80), 6 *pane lacrimarum.* — v. 69 *vitae fonte:* baptismate cf. infra II 638. 644. secundum contextum *mater* nomen dat filio. apud Alcuinum vit. Will. I 3 *imponit ei pater nomen Willibrordus* aliquot boni codd. exhibent *mater,* quos secutus noster. veram scripturam esse *pater* Wattenbachius ex vita metrica Alcuini II 34 *Inposuit Wilbrord nomen habere pater* probari censet. at potuit Alcuinus in vita prosaica *matrem* appellare, in metrica autem numerorum gratia *patrem* substituere, unde *pater* etiam in vitam pros. inferri potuit. — v. 71 nomen Willibrordi potius derivandum a germanico *willjo* voluntas et *brord,* quod anglosaxonice *cuspidem, telum acutum* significat. ut igitur Willehalm *is* est, *qui cupit galeam,* ita Willibrord *is qui cupit telum.* interpretatio

Thiofridi, quae v. 71. 72 continetur, proficiscitur non a syncopata forma nominis *Wilbrord*, quam adhibuit v. 69, sed a primitiva *Wil-li-brord*. ita autem verba intellegenda sunt: si littera *r* ex syllaba *brord* eiciatur, ut evadat *brod*, et syllaba *li* omittatur. *linquat* passive accipiendum. — v. 73 *mel nectarque suum* i. e. lac eius maternum cf. Dracont. Orest. 567 sq., ubi legendum: *flumina pectoreo dedit ubere lactea labris, dulcia nectareum fundentia mella saporem.* — v. 74 *redimicula morum*: monile, ornatum morum i. e. mores, quibus erat ornatus. — v. 76 cf. Ovid. met. IV 290 sq. *cuius erat facies, in qua materque paterque cognosci possent. utrumque parentem* cf. Ovid. met. XIII 147 *deus est in utroque parente.* — v. 78 cf. lib. I. Reg. (Samuel.) 1, 28. — v. 80 Isai. 11,8 *et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis.* — v. 81 *vectis:* intellegendus est Satan cf. Isai. 27, 1 *in die illa visitabit dominus .... super Leviathan serpentem vectem.* — v. 84 sqq. Alcuin v. W. I 3 *tradidit eum pater Hrypensis ecclesiae fratribus religiosis studiis et sacris literis erudiendum, ut fragilior aetas validioribus invalesceret disciplinis, ubi nihil videret nisi honesta, nihil audiret nisi sancta.* Theoderic. Chron. Eptern. I 33 *hunc itaque in Christo renatum parentes eius Christo mancipaverunt et per ipsos teneritudinis suae annos disciplina informandum christiana fratribus Ripensis aecclesiae tradiderunt.* — v. 85 de Hrypensi ecclesia Wattenbachius ad Alcuini l. l. haec annotat: '*monasterium paullo ante conditum ab Eboraco* [York] *non multum distat; nomen loci hodie est Ripon*'. verba versus 85 ita iungenda, ut *egregiis Israelitis* sit appositio verborum *patribus Ripensibus.* egregii Israelitae ita dicti, ut ev. Iohann. 1, 47.

cap. III. (lib. I 88—312.)

Thiofridi argumentum: *De patris eius conversione et in monachico proposito sancta conversatione et cursus*

consummatione. — Cf. Alcuin vit. Will. I 1. II 34. — Theoderic. Chron. Eptern. I 33 *Pater vero eius beatus Wilgislus ad Sanctum Andream in promunctoriis occeani et Umbri fluminis monachicam arripuit conversationem et, acceptis a primatibus provintiae donariis et praediis, in honore semper virginis theotocos Mariae instituit accclesiam et congregationem, ubi post plurimos labores triumphalem Deo animam, terrae carnis reddidit materiam.*

v. 88 nec Wilgisli patris mens torpuit tanta indole oblata. — v. 90. 91 lib. I (III) Reg. 19, 9—12. — v. 94 sq. epist. ad Ephes. 4, 22—24 *Deponite.... veterem hominem... et induite novum hominem.* epist. ad Coloss. 3, 9. 10 *expoliantes vos veterem hominem.... et induentes novum.* — v. 96 Alcuin. v. W. I 1 *in quodam parvo oratorio sancti Andreae apostoli Christi nomine dicato* cf. supra Theoderici l. l. — v. 98. 99. quis fuerit Iacob ille, qui opus de sanctorum dogmatis et vitis concinnaverit, indagare non contigit. — v. 107 *aerias phalangas* cf. epist. ad Ephes. 2, 2 *secundum principem potestatis aeris huius* ibid. 6, 12 *contra spiritalia nequitiae in caelestibus.* significantur agmina angelorum malorum. — v. 110 evang. Matth. 5, 14 *non potest civitas abscondi supra montem posita.* — v. 111 sq. Alcuin. v. W. I 1 *ita ut etiam miraculorum signis claruit et nomen eius celebre factum est.* — v. 114 sqq. Alcuin. v. W. I 1 *sed et illius gentis regi et optimatibus honorabilis effectus est in tantum, ut ei aliquas terrarum possessiunculas illis promontoriis*) adiacentes ad aedificandam deo ecclesiam.... contulerint, in qua pius pater modicam quidem sed honestam deo servientium adunavit congregationem, in qua.... requiescit.* — v. 117 *summi pecus opilionis:* S. Wilgislus. — v. 118 *in agni sanguine lotas:* Apoc.

---

*) Paullo supra: *in promontoriis, quae mari Oceano et Humbri flumine cinguntur.*

Ioh. 7, 14. — v. 120 *suspirans:* cum suspirio cupiens. — v. 122 epist. ad Corinth. I. 13, 12; cf. infra ad II 732. — v. 123 cf. Alcuin. v. W. II 34

Corpus in ecclesia curarunt condere fratres,
Quae constructa maris stat prope litoribus
Atque sacrata, Dei genetrix clarissima Christi,
Nomine fulgescit, virgo Maria, tuo.

theoticos idem quod theotocos. *pergula theoticos:* pergula virginis Mariae θεοτόκου. cf. Vit. pros. cap. 20, ubi eadem forma corrupta *theoticos* eademque pro genetivo extat: *in oratorio perpetuae virginis theoticos Mariae.*

cap. IV. (lib. I 124—196.)

Thiofridi argumentum: *Quod egregiae indolis puer tenellae aetatis teneritudinem morum maturitate transcendit et in vicennalibus suis in Hyberniam amplioris profectus gratia secessit.* — Cf. Alcuin. vit. Will. I 3 fin. 4. — Theoderic. Chron. Eptern. I 33 *At puer egregius Willibrordus ab ineunte pueritia et sensu proficiens et moribus placibilis factus est tam Deo quam hominibus et accepta tonsura clericatus et pia professione factus monachus usque ad annum vicesimum alacriter et humiliter sacris lectionibus inherebat, ac postmodum quasi a lacte matris avulsus sapientiam inter illustres viros Hiberniae per annos 12 sitientes hauriebat. unde factum est, ut fervidis laboribus discendi non minus fervidos labores superadderet populum incredulum viam Dei docendi.*

v. 124 *digressus* a vita Willibrordi describenda ad patris eius vitam delineandam. — v. 127 *Samuel profectibus alter* cf. lib. I. Reg. (I. Samuel.) 2,26 *puer autem Samuel proficiebat atque crescebat et placebat tam domino quam hominibus.* — v. 132 *dispungeret:* numeraret, haberet. — v. 136 Verg. Aen. IV 281 *ardet abire fuga dulcisque relinquere terras.* — v. 137 Alcuin. v. W. I 4 *cum coniventia sui abbatis et fratrum.* — v. 139 sq. ev. Matth. 9, 37 *messis quidem multa, operarii autem pauci.* — v. 147

sq. Alcuin. v. W. I 4 *et quia in Hibernia scolasticam eruditionem viguisse audivit, etiam et quorundam sanctorum virorum fama narrante conversatione incitatus et praecipue beatissimi patris et episcopi Ecgberti... nec non et Wicberti.... Hiberniam secessit.* — v. 149 *ut Athenae gymnosophistis.* miro errore Thiofridus gymnosophistas Athenis fuisse putat confundens, ut videtur, sophistas et gymnasticas exercitationes. — v. 153 *aplanes* gener. fem., graece ἀπλανής inmotus, significat orbem stellarum fixarum cf. Macrob. Somn. Scip. I 9 *hac autem animae in ultimam sphaeram recipi creduntur, quae aplanes vocatur.* — v. 155 cf. Alcuin. v. W. I 4 *quatenus ceu prudentissima apis ex eorum propinquitate mellifluos pietatis carperet flores.* — v. 156 *districtio:* punitio, poena. — v. 157 *sub sorte culinae:* in officio culinario. — v. 161 *synaxis:* contionis. — v. 163 *in versu mensae*: in carmine cenatorio. — v. 168 nota *temetum* h. l. correptis prioribus syllabis duabus positum esse, cum iusta prosodia extet infra II 514. — v. 170 *hemina:* certa vini mensura, quam monachis per diem sufficere existimavit S. Benedictus (Deckerus). — v. 170 *partitur* passive. — v. 174 *dat membra sopori* cf. infra ad IV 256. — v. 178 *feriente ruina* Sil. It. XIV 678 *tanta feriente ruina* (Deckerus). — v. 179 Horat. epist. II 3, 188 *quodcunque ostendis mihi sic, incredulus odi.* — v. 194 *patris sapientia, verbum:* Iesus Christus cf. Porfyr. 24 (9), 18 *o vere patris sapientia, Christe, opulento exertus verbo.* Alcuin. de sanct. Eubor. eccl. v. 1 *Christe deus, summi virtus, sapientia patris.* — v. 195 evang. Luc. 2, 46. *symmysta* proprie qui eisdem mysteriis, sacris initiatus est, deinde universaliter 'vir sanctus, sacerdos, propheta, al.'. in cod. Bernensi 178 glossas continente extat fol. 66 II^{b} col. 1 haec glossa '*simiste: conscii secretorum*'. in Alcuini carminibus Iohannes apostolus interdum appellatur *Christi symmysta* vel *caeli symmysta.*

cap. V. (lib. I 197—256.)

Thiofridi argumentum: *Quod anno aetatis suae 33. in portum Gravelingae villae maritimae, inde venit Traiectum arcem tunc et solium regni Fresiae.* — Cf. Alcuin. vit. Will. I 5. II 6. — Theoderic. Chron. Eptern. I 41 *Audiens vero beatus Willibrordus in Hybernia, ubi manebat, populum esse in borealibus mundi partibus ydololatriae deditum erroribus, 33. aetatis suae anno cum 12 sociis navim conscendit atque anno incarnationis Domini 690 Theoderico adhuc regnante prospero cursu Traiectum arcem tunc et solium Fresiae pervenit.*

v. 197 Horat. sat. II 7, 86 *fortis et in se ipso totus teres atque rotundus.* — v. 199 *Christi morte Mors perempta est* cf. epist. ad Corinth. I 16, 26. 55. — v. 200 Genes. 12, 1. — v. 203 *legis tomos:* proprie quinque libros pentateuchi, deinde ipsam legem divinam. — v. 206 Verg. Aen. XI 550 *omnia secum versanti subito vix haec sententia sedit.* — v. 210 cf. Alcuin. v. W. I 5 *assumptisque secum undecim fratribus.* — v. 211 Lucan. VII 363 *signiferi compressum limite caeli.* — v. 212 *idolium* proprie idolorum templum, h. l. idem fere significat quod idololatria. iustam prosodiam eius vocis īdōlĭum iam Prudentius corrupit ad īdŏllĭum, quem secutus noster. — v. 216 Lucan. IX 77 *tendunt mihi carbasa venti.* — v. 217 *prono ratis aequore fertur* cf. Verg. Aen. VIII 548 *pars cetera prona fertur aqua.* — v. 218 Verg. Aen. VI 476 *prosequitur lacrimis longe.* — v. 223 Verg. Aen. IV 453 *turicremis cum dona imponeret aris.* — v. 230 *ruinam:* facultatem ruendi. — v. 235 *Viltorum* cf. infra ad v. 512. praeterea cf. Bedae hist. eccl. Angl. V 11 sub fin.: *Donavit autem ei* (Willibrordo) *Pipinus locum cathedrae episcopalis in castello suo illustri, quod antiquo gentium illarum vocabulo Wiltaburg i. e. Oppidum Wiltorum, lingua autem gallica Traiectum vocatur.* — v. 240 Verg. Aen. XII 283 *it toto turbida caelo*

tempestas. — v. 244 Lucan. I 257 *Hac iter est bellis.* — v. 246 Lucan. IX 199 *praetulit arma togae.* Verg. Aen. VII 496 *laudis succensus amore.* — v. 251 Pippinum Heristalensem, maiorem domus regum Merovingicorum, quos auctoritate et imperio multo superabat. — v. 252 Verg. Aen. VI 756 *nunc age, Dardaniam prolem* ibid. 767 *Troianae gloria gentis.* de fabula, qua principes Francorum a Troianis originem duxisse putabantur, cf. Theoderic. Chron. Eptern. init. *Igitur clarissima principum prosapia, quorum largiflua munificentia a beato Willibrordo primitus Epternacensis fundata usque nunc propagata est aecclesia, de nobilissima non solum Francorum sed et de antiquissima Troianorum descendit genealogia.* cf. etiam eiusdem Vitae Irminae init., porro Burchardi et Cuonradi Urspergensium Chronicon (M. G. SS. XXIII p. 338 l. 35 sqq.). eadem origo principum Francorum ab aliis quoque medii aevi scriptoribus commemoratur sat multis. — v. 256. *Anchisus dux* pater Pippini Heristalensis ex Begga, sorore s. Gertrudis, filia Pippini Landensis. cf. Theoderic. Chron. Eptern. (M. G. SS. XXIII p. 39—64) p. 40, 3. 47, 39 (similiter p. 44, 29. 37. 53, 25) *Pippino, filio Ansgisi* p. 53, 37. 54, 23. 59, 11 *Pipp., filius Ansgisili.* Catalog. abb. Eptern. I (M. G. SS. XXIII p. 30 lin. 40) *Pippini, filii Anschisi.* Chron. monachi Trium font. (M. G. SS. XXIII p. 697 lin. 23 p. 700 lin. 29) *Ansigisus, qui et Anchises.* primitiva forma nominis sine dubio fuit *Ansgisil,* quod valet '*obses deorum*'.

cap. VI. (lib. I 257—406.)

Thiofridi argumentum: *Quod a Pipino victoriosissimo duce Franciae honorifice est susceptus et ad pontificatus dignitatem electus et Romam directus.* — Cf. Alcuin. vit. Will. I 5. 6. II 2. 3. — Theoderic. Chron. Eptern. I 41 *Susceptus est .... beatus Willibrordus honorifice a prefato Pippino glorioso duce, qui sicut prediximus, nuper expulso Rabodo rege armis subiugaverat gentem citerioris*

Fresiae. Cumque rogatu ducis vir Dei predicaret ibi verbum Dei, effusa est gratia Christi per ministerium eius in nationes Fresonum, illuxerunt choruscationes fidei per illum genti Francorum multumque desudante illo in agro dominico multa seges invecta est Christi horreo. Unde ab ipso duce congaudente ceterisque principibus Francorum in pontificatum electus, Romam ad papam Sergium est directus.

v. 261 Alcuin. v. W. I 5 *Qui* (Pippinus) *eum cum omni honore suscipiens .... loca ei oportuna intra terminos regni sui praevidens, quo potuisset idololatriae spinas extirpare et purissima verbi Dei semina per munda novalia habundantius spargere.* — v. 263 ev. Matth. 13, 30 sub fin. — v. 269 epist. ad Corinth. I. 3, 6 *ego plantavi, Apollo rigavit, sed deus incrementum dedit.* — v. 273 *legatio nostri* cf. ad I 371. — v. 277 *missus:* nuntius. — v. 281. *delectus in sorte dei* i. e. in sortem dei, clerum. — v. 286 *galumma;* involucrum, deformatum de graeco *κάλυμμα*. — v. 287 *primatus cathedras* cf. ev. Luc. 14, 8 sqq. — v. 288 sqq. ev. Iohann. 6, 15. — v. 292 *cor non apposuit* cf. psalm. 61 (62), 11 *nolite cor apponere.* Proverb. 22, 17. Eccles. 8, 16. Iob 7, 17. — v. 294 Verg. Aen. V 304 *laetasque advertite mentes* (Sil. It. IV 823 *totasque advertite mentes*). — v. 295 Alcuin. de sanct. Eubor. eccl. 1014 *qui liquerat patriam patriae caelestis amore.* — v. 298 non didici, quomodo summa munera vitae speculativae (i. e. ecclesiastica) administranda sint. — v. 299 sqq. pavor incedit cor meum intuentis illum quasi catalogum virtutum, qui in Pauli epistula ad Timoth. I. 3, 1—7 propositus est episcopis. cf. Alcuin. v. W. I 6 (Willibrordus) *renuit primum nec se tantae auctoritatis honore dignum esse referebat; enumeratisque apostolicae sanctionis praeceptis, longe se inferiorem huic virtutum catalogo asserebat, quem egregius mundi praedicator filium suum Timotheum erudiens oportere episcopum habere censuit.* — v. 307 *turris David* comme-

moratur Cant. cant. 4, 4, *turris Libani* ibid. 7, 4. utramque Thiofridus eandem putasse videtur. turrem autem Davidis in monte Libanon sitam fuisse, quod sciam, nusquam narratur. — v. 309 *aerias phalangas* cf. supra ad v. 107. — v. 319 antistes, cui caelica mens est, est alter deus. — v. 320 Isai. 22, 22 *et dabo clavem domus David super humerum eius et aperiet, et non erit qui claudat, et claudet, et non erit qui aperiat.* Apocal. Iohann. 3, 7 *haec dicit sanctus et verus, qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit.* — v. 321 Levit. 16, 2 sqq. — v. 322 Exod. cap. 28 et 39. intellege: octo amictibus, qui sunt mirifico textu, decoratur. — v. 323 Exod. 28, 34 sq. — v. 324 ibid. v. 36. — v. 331 sq. Numeri 18, 18. — v. 334 *aëris alas:* alatos daemonas aërios cf. supra ad I 107. — v. 335 alter Phineas ventrem luxuriantium confodiat cf. Num. 25, 7. 8. — v. 337 Levit. 21, 18—20 *nec accedet ad ministerium eius; si caecus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi vel torto naso; si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus* e. q. s. — v. 343 *noys,* graece νοῦς mens. hausit vocabulum ex Martian. Cap. I 92 al. — v. 344 *haeresiarcha* i. e. auctor haereseon. — v. 347—349 cf. epist. ad. Timoth. I. 3, 5. — v. 355 Verg. Aen. I 423 *instant ardentes Tyrii.* — v. 359. Ovid. epist. XII 61 *Hinc amor, hinc timor est.* — v. 362—369 Deuteron. 25, 5 sqq. — v. 364 Verg. Aen. I 73 *conubio iungam stabili.* — v. 370 epist. ad Hebr. 2, 11. 12. 17. — v. 371 *nostri formam, non culpam.* genet. pronom. person. pro possessivo cf. I 273. III 185. IV 214. — v. 371 sq. epist. ad Corinth. I. 15, 45 sq. — v. 375 *contectalem:* quae sub eodem tecto habitat i. e. coniugem. — v. 384 epist. ad Philipp. 2, 4 *non quae sua sunt singuli considerantes, sed ea quae aliorum.* — v. 386 Iuven. 8, 53 *truncoque simillimus Hermae.* — v. 387. 388 Levit. 1, 15 *offeret eam* (columbam) *sacerdos ad altare et retorto ad collum capite ac rupto vulneris loco decurrere faciet.*

sanguinem super crepidinem altaris. ibid. 5, 8 *retorquebit caput eius ad pennulas ita, ut collo haereat et non penitus abrumpatur.* — v. 393 sq. vidit non carnis requiem neque humum sed animae gloriam esse bonam requiem et optimam terram. — v. 395 *onos*, graece ὄνος asinus. cf. Genes. 49, 14 *Issachar asinus fortis.* — v. 400 sq. Alcuin. v. W. I 6 fin. *et sic cum honorifica legatione et muneribus apostolicae auctoritatis condignis Romam directus est.* — v. 402 nomen *Sergius* a *servandis gentibus* ductum esse putat. — v. 404 sq. cf. lib. I (III) Reg. 10, 18 sq. — v. 406 *oeconomos:* papa Sergius.

cap. VII. (lib. I 407—501.)

Thiofridi argumentum: *Quod adventus eius per angelum papae Sergio est revelatus, et ab eo cum ingenti exultatione et gloria est susceptus et archipresul ordinatus.* — Cf. Alcuin. vit. Will. I 7. II 4. 5. — Theoderic. Chron. Eptern. I 41 *ad papam Sergium est directus. cui cum eius adventus ab angelo esset revelatus, cum grandi honore susceptus, anno incarnationis Domini 696. et Childeberti regis 2. die sanctae Ceciliae* [22. Nov.] *ad archyepiscopum est ordinatus atque Clemens ab eo est appellatus.* idem in Vita s. Irminae cap. 5 *Ipse nuper a Pippino Romam directus et ab angelo papae Sergio designatus ab eo ad archyepiscopum est ordinatus et reversus inaestimabili sanctarum reliquiarum thesauro ditatus.*

v. 407 cf. infra ad v. 437. — v. 416 Alcuin. v. W. I 7 init. *Sed die quarta priusquam ille veniret, beatissimus apostolicus angelica in somnis responsione ammonitus est.* — v. 417 Verg. Aen. I 276 *Mavortia condet moenia.* — v. 420 Alcuin. v. Will. I 7 *nihilque ei negandum esse quicquid petisset.* — v. 424 sq. Verg. Aen. VII 458 sq. *olli somnum ingens rumpit pavor, ossaque et artus perfundit toto proruptus corpore sudor.* — v. 427 sq. Verg. Aen. VI 893 *sunt geminae Somni portae, quarum altera fertur cornea.*

qua veris facilis datur exitus umbris, altera candenti perfecta nitens elephanto, sed falsa ad caelum mittunt insomnia manes. — v. 433 *physiologica ratione.* Servium imitatur, cuius verba vide infra ad v. 460. — v. 435 *hoc*: verum. — v. 437 Verg. Aen. III 511 *fessos sopor irrigat artus.* — v. 445 mentem intendit falsis (rebus), quibus porta eburnea subest. *elephantis* genetivus est vocis *elephas* metonymice positae pro ebore. — v. 446 *hanc:* mentem; cf. v. 442. — v. 460 cf. Serv. ad Verg. Aen. VI 894 *Physiologia vero hoc habet: Per portam corneam oculi significantur, qui et cornei sunt coloris et duriores ceteris membris; nam frigus non sentiunt; sicut et Cicero dicit in libris de deorum natura* (2, 57). cetera, quae affert de porta eburnea, huc non faciunt. — v. 464 cf. Godescalci versus ad Carolum v. 17 (Dümmler poet. aevi Carol. tom. I p. 95) *Tempore vernali transgressis Alpibus ipse urbem Romuleam voluit quo visere consul.* Alcuin. de sanct. Eubor. eccl. 1457 *Hic quoque Romuleam venit devotus ad urbem.* Ovid. met. XV 625 *Romuleae urbis* id. fast. V 260 *Romulea... in urbe.* — v. 466 *apostolicus:* papa. sic exempli gr. bis apud Alcuin. vit. Will. I 7. — v. 469 *quadrifidi mundi* cf. ad I 18. — v. 472 Verg. Aen. I 497 *incessit magna iuvenum comitante caterva.* — v. 473 *Petri aedem* cf. Alcuin. v. W. I 7 *in ecclesia beatissimi Petri principis apostolorum.* Bedae epitaph. Ceadwallae v. 19 (in hist. eccl. Angl. V 8): *Urbem Romuleam vidit templumque verendum Aspexit Petri mystica dona gerens.* — v. 475 *octonis vestimentis* cf. supra ad v. 322. — v. 480 Lucan. II 383 *Nec sibi sed toti genitum se credere mundo.* — v. 489 *par*, quia numerus par est cf. ad II 748. — v. 492 cf. Exod. 25, 20. — v. 496 *accensum de se:* igni divino. — v. 498 *meritis.* an his qui meriti erant? — v. 501 *pignera sanctorum:* reliquias; cf. Alcuin. v. W. II 5 *plurima sanctorum donans ei dona piorum* et imprimis Theoderic. Vit. s. Irminae loc. supra laud.

cap. VIII. (lib. I 502—521.)

Thiofridi argumentum: *De reditu eius in Franciam et delegata sibi in illustri castello Traiecto pontificali cathedra et conversatione eius monachica et apostolica.* Cf. Alcuin. vit. Will. I 8 II 6. — Theoderic. Chron. Eptern. I 41 *Post 14 vero dies ex quo illuc venerat sumens inaestimabiles sanctorum reliquias rursus ad regnum Francorum celeriter remeavit et a duce Pippino accipiens sedem pontificatus in castello illustri, quod Wiltaburch barbarica, Traiectum lingua vocatur Gallica, stipendia genti illi fideliter dispensavit.*

v. 502 cf. Alcuin. v. W. I 7 fin. *donis ditatum . . . remisit.* — v. 505 *Pippino* cf. supra ad v. 251. — v. 513 *Viltaburg* vetus nomen Traiecti dictum a Viltis gente ad ostia Rheni habitante cf. supra v. 235. — v. 515 cf. ad v. 139. — v. 519 *contiolae* idem quod contiunculae. illa forma, quae legibus vocabulorum latinorum formandorum repugnat, nusquam, quod sciam, alias invenitur.

cap. IX. (II lib. 1—9.)

Thiofridi argumentum: *Quod plures in illa regione aecclesias et monasteria construxit et antistites et rectores constituit.* — Cf. Alcuin. vit. Will. I 8 fin. *Testes quoque ecclesiae, quas per loca singula construxerat: testes et Deo famulantium congregationes, quas aliquibus adunavit in locis.* — Theoderic. Chron. Eptern. I 41 *Plures quoque ibi aecclesias et monasteria construxit, plures rectores et pastores in eis constituit.*

His comparatis cum novem illis versibus, qui caput IX vitae metricae efficiunt, apparet Thiofridum veritum, ne nominum enumeratione lectores fastidio afficerentur, satis habuisse pro nominibus illis pauca de Willibrordi agendi et vivendi ratione afferre. Similiter in cap. XXXIII egit.

v. 4 Verg. Aen. VI. 677 *dixit et ante tulit gressum.* — *grex ut se non alienum* e. q. s. cf. ev. Iohann. 10, 5.

cap. X. (lib. II 10—61.)

Thiofridi argumentum: *Quod curiam expulsi regis Rabodi adiit et, quia ibi fructificare non potuit, ad conterminam Danorum barbariem se transtulit et 30 ibi pueros ibi adquisitos et regeneratos secum detulit.* — Cf. Alcuin. vit. Will. I 9. II 7. — Theoderic. Chron. Eptern. I 41 *Curiam nuper expulsi Rabodi adiit, et cum ibi fructificare non posset, ad conterminam Danorum rabiem se convertit. Sed cum nec ibi proficeret eo, quod Ongendus quidam crudelis tyrannus, qui ibi regnabat, eum audire noluit, tamen ne vacuus ad aream rediret, 30 ibi pueros Christo adquisitos et regeneratos rediens secum in Franciam detulit.*

v. 10 cf. Alcuin de sanct. Eubor. eccl. 646 *angelicam Cuthbertus agens in corpore vitam.* — v. 12 *probatam* vid. ind. gramm. — v. 16. 17. Ecclesiast. 3, 1—8. — v. 21 *clavis David* cf. ad I 320. — v. 24 sqq. cf. Alcuin. v. W. I 9 *Ongendus, homo omni fera crudelior et omni lapide durior.* — v. 28 *quod prodit ab est:* proficiscitur, derivatur. quae sequuntur, satis obscura, cum Thiofridus scientiam philosophicam iactet, quam hausit ex Martian. Cap. IV 339. 344. 345. 355. 356. verba hunc fere in modum intellegenda: ens h. l. non est ens illud generale, quod ut genus omnes res ut species complectitur quodque una est ex decem categoriis Aristoteleis, sed magis aequivoce dictum est, ita ut nomen quidem constet, definitio non ita. iam vero cum syllaba 'ens' vel 'est' per se quidem nihil significet nisi se, sed simul significet, si non definitio etiam constet i. e. eadem maneat, sit primae syllabae altera iuncta e. q. s. — v. 29 *isagogae:* intelleguntur Porphyrii Isagogae in Aristotelis Organon, quas Victorinus rhetor in latinum transtulit, Boethius commentariis quinque instruxit cf. Isidor. orig. II 25, 1 et 9. — v. 33 *consignificet:* simul significet. vox ista usurpata est a Prisciano, Cassiodorio, Boethio. ad locum nostrum faciunt, quae Boethius in

Aristotelis libr. de interpr. (ed. pr. p. 221) dicit: *Quod dicimus ferus, cum aliqua parte nominis, quae est equi, unum consignificat. id est equiferus, separatum etiam nihil extra significat. quodsi rursus ipsum nomen extrinsecus, non in alterius nominis parte ponatur, per se sibi significat. ergo non est similis in simplicibus nominibus compositisque partium consignificatio.* — v. 38 cf. psalm. 77 (78), 57 *conversi sunt in arcum pravum.* — v. 40 '*leviare: levare, levem facere, vel exonerare, pondus auferre vel diminuere*'. Gloss. Iohann. de Ianua. — v. 42 Verg. Aen. VIII 542 *sopitas ignibus aras.* — v. 44 *verbi* sc. divini. — v. 45 *figmina:* idola, deastra. — v. 51—55 cf. Act. apost. 16, 7. — v. 55 *agno:* Christo. — v. 56 *hac forma:* hoc exemplo. — v. 59 cf. epist. ad Ephes. 6, 16. 17. — v. 60 *Ditis:* diaboli; cf. Alcuin. v. W. I 9 fin. *volens antiqui hostis praevenire astutias.*

cap. XI. (lib. II 62—213.)

Thiofridi argumentum: *Quod in insula Fositesland in magnae supersticionis loco fixit tentoria et animalia ibi pascentia in suorum distribuit cibaria et ob id apud regem accusatus sorte triduo ternis vicibus in urnam missa divina liberatus est gratia.* — Cf. Alcuin. vit. Will. I 10. 11. — Theoderic. Chron. Eptern. I 41 *Sed in redeundo tempestate iactatus in insulam Fositesland in magnae supersticionis loco fixit tentoria et animalia ibi pascentia in suorum distribuit edulia. Ob hoc apud regem accusatus sorte triduo tribus vicibus in urnam missa cum suis divina liberatus est gratia preter unum, qui eo quod inconsultius aes presumpserit immolaticium, sorte proditus veniale delictum expiavit per martyrium.*

v. 67. Alcuin. v. W. I 10 *pervenit in confinio Fresonum et Danorum ad quandam insulam, quae a quodam deo suo Fosite ab accolis terrae Fositesland appellabatur, quia in ea eiusdem dei fana fuere constructa.* ad haec Wattenbachius: '*nunc Helgoland. Hunc vitae nostrae locum respexerunt Altfridus in vita Liudgeri*

c. 19 et Adamus Brem. IV, 3. Cf. J. Grimm Deutsche Mythologie p. 210.' caesura huius versus post *Fosites* statuenda est duabus de causis, primum quod syllaba eius vocis ultima respondet ut homoeteleuta ultimae vocis *dicione*, tum quod in nomine *Fresonum* Thiofridus semper duas priores syllabas corripit. — v. 69 Verg. Aen. I 531. III 164 *ubere glaebae.* — v. 71 sq. Verg. ge. II 201 *quantum longis carpent armenta diebus, exigua tantum gelidus ros nocte reponet.* — v. 73 Horat. sat. II 6, 2 *iugis aquae fons.* — v. 74 Alcuin. v. W. I 10 *nec etiam a fonte... aquam haurire nisi tacens praesumebat.* — v. 75 Verg. Aen. II 774 et alibi *vox faucibus haesit.* — v. 80 *est:* edit. — v. 86 Alcuin. v. W. I 10 *tres homines in eo fonte... baptizabat.* — v. 88 Verg. Aen. I 149 *ignobile vulgus.* — v. 91—93 cf. Verg. Aen. VII 323—331. — v. 93 cf. Auson. Cupido cruci aff. 1 *memorat quos Musa Maronis.* — v. 96 sq. Verg. Aen. IV 174 sq. *Fama, malum qua non aliud velocius ullum: mobilitate viget, viresque adquirit eundo.* — v. 98 ibid. v. 188. *tam ficti pravique tenax quam nuntia veri.* — v. 99 ibid. v. 178. 179. — v. 100 sq. ibid. v. 181 sqq. *cui quot sunt corpore plumae, tot vigiles oculi.... tot linguae, totidem ora sonant, tot subrigit aures.* — v. 102 sq. ibid. v. 196 *protinus ad regem cursus detorquet Iarban incenditque animum dictis atque aggerat iras.* — v. 104 ibid. v. 191 *venisse Aenean Troiano sanguine cretum.* — v. 108 Verg. Aen. VII 168 sq. *ille intra tecta vocari imperat et solio medius consedit avito.* — v. 112 Verg. Aen. VI 20 *tum pendere poenas Cecropidae iussi.* — v. 121. *vitae praedo:* diabolus. — v. 123 iunge: sic emundatus. — v. 129 Numer. 20, 10. 11. 12. — v. 130 Deuteron. 34, 1. 5 et porro ibid. v. 6 *et sepelivit eum* (Moysen) *in valle terrae Moab contra Phogor.* — v. 132—137 lib. I (III) Reg. cap. 13. — v. 132 ad delubra urbis Bethel. — v. 134 *edit* ab edendo, quod idem valet

cum vescendo. — v. 142 iunge: de vanis fani aris expostulat et arguit. — v. 147 cf. orationem s. Willibrordi apud Alcuin. v. W. I 11. — v. 155 Genes. 3, 1 sqq. — v. 161 sq. evang. Marc. 9, 44 (46. 48) *ubi vermis eorum non moritur et ignis non extinguitur.* — v. 171 *fonte salutari:* baptismate. — v. 174 cf. Daniel. 4, 14 *et cuicumque voluerit, dabit illud, et humillimum hominem constituet super eum.* — v. 175 Verg. Aen. VI 672 *paucis ita reddidit heros.* — v. 177 sq. Lucan. II 511 *Scit Caesar poenamque peti.... vive, licet nolis.* — v. 178. *aequasti, famina factis* cf. Alcuin. v. W. I 11 sub f. *Ad haec rex miratus respondit: Video te minas nostras non metuisse et verba tua esse sicut et opera.* de faminis vocabulo cf. Gloss. lat. graec. '*famen:* φάτις, βάξις'. etiam apud Martian. Cap. IX 999 (336 Gr.) pro *flamine* codicum coniecit *famine* Grotius, recte ni fallor. — v. 188 intellege: o quantus ignis succenderat clibanum (i. e. fornacem) mentis. — v. 190—193 cf. Verg. Aen. III 571 sqq. *horrificis iuxta tonat Aetna ruinis, interdumque atram prorumpit ad aethera nubem turbine fumantem piceo et candente favilla attollitque globos flammarum et sidera lambit, interdum scopulos avolsaque viscera montis erigit eructans liquefactaque saxa sub auras cum genitu glomerat fundoque exaestuat imo.* totum locum exscripsi, ut perspiciatur, quomodo Thiofridus exemplo suo usus sit. praeterea notandum *caminis* extare ibid. v. 580, *Trinacriam* et *fumo* v. 582. — v. 196 *extra se saliunt* dicta sunt ad exemplum sermonis germanici: 'sie fahren aus der haut, sie geraten aufser sich'. — v. 199 et 202 Pers. sat. 3, 117 sq. *scintillant oculi dicisque facisque quod ipse non sani esse hominis non sanus iuret Orestes.* — v. 210. 211 Ierem. 31, 38 *et aedificabitur civitas domino, a turre Hananeel usque ad portam anguli. et exibit ultra norma mensurae.* — v. 212 Sedul. carm. pasch. V 138 *tunc vir apostolicus, nunc vilis apostata factus.*

[cap. XII.]

In Vita metrica non comparet. quid cap. 12 Vitae prosaicae perscriptum sit, docet

Thiofridi argumentum: *De opido Efternacensi et villa Suestra et aliis villis et aecclesiis sibi a potentibus et divitibus viris rata concessione traditis.*

Eius capitis partem magnam publicavit Ludew. Weiland in M. G. SS. XXIII pag. 23 sq.

Cf. Alcuin. vit. Will. I 12. —

Theoderic. Chron. Eptern. I 41 *Cumque reversus esset ad presulatus sui cathedram et per dies singulos numerus fidelium cresceret et per predicationis eius instanciam plurimi mundi divitiis pollentes et gloria amplissima illi tradiderunt patrimonia, in quibus vir Dei plurimos construxit et dedicavit aecclesias, ut populus predestinatus ad vitam in eis addisceret ordinem et sanctiones aecclesiasticas.*

cap. XIII. (lib. II 214—284.)

Thiofridi argumentum: *De adventu eius in insulam Walichrum, ubi custos delubri eum vulneravit ob destructum ydolum et vexatus a daemone per triduum in aeternae dampnationis precipitatus est baratrum.* — Cf. Alcuin. vit. Will. I 14. II 14.

v. 214 *Walichrenses* incolae insulae in ostiis Scaldae fluminis sitae, cui hodie nomen est Walcheren.*) — v. 217 *mota*bilis etiam extat Vulg. interpr. Genes. 1, 21 et in Onomast. lat. graec. '*motabilis: πολυκίνητος*'. — v. 220 Verg. Aen. III 277 *ancora de prora iacitur.* — v. 222 Verg. Aen. IV 136 *tandem progreditur magna stipante caterva* cf. supra ad I 472. — v. 223 Alcuin. v. W. I 14 *ad villam Walichrum, in qua antiqui erroris idolum remansit.* — v. 225 ev. Iohann. 2, 17 *zelus domus tuae comedit me.* —

*) '*In insula Walcheren teste Browero Annal. Trev. l. XII (p. 549) nobilis erat basilica Epternacensi monasterio subiecta Westkapelle nomine.*' Haec Wattenbachius in nota ad Alcuin. v. Will. I. 14 secundum Mabillon.

v. 226. Numer. 25, 7. 8 et lib. I. Maccab. 2, 24 sqq. — v. 228 non dubium est, quin Thiofridus Summanum ex Martian. Cap. II 161 sumpserit, ubi extat: '*sub Plutonis potestate consistit, qui etiam Summanus dicitur quasi summus Manium*', praesertim cum paullo ante (II 156) etiam semideorum mentio fiat: '*quos ἡμιθέους dicunt quosque latine Semones aut Semideos convenit memorare*'. — v. 230 Verg. Aen. VIII 256 *non tulit Alcides animis* et ibid. III 331 *furiis agitatus Orestes*. — v. 240 *Ditis possessio factus* subiectum est enuntiati. — v. 243 *ancipiti collo* cf. infra ad III 100. — v. 245 Verg. ecl. 3, 8 *transversa tuentibus hirquis*. — v. 247 Iuven. 1, 60 *dum pervolat axe citato*. — v. 252 Verg. Aen. VI 763 *tua postuma proles*. — v. 259 cf. Lucan. VI 673. — v. 260 *vitali fonte:* baptismate. — v. 269 Verg. Aen. VI 296 *vastaque voragine gurges*. — v. 274—276 Iuvenal. 10, 182 *Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigaeum*. — v. 275 *fidei virtute: πίστεως δυνάμει*. — v. 277 *o quantus constat*. constare evanescente significatu idem valet quod esse cf. infra III 269 IV 102. 360. eodem modo apud Dracontium carm. min. VIII 10. 138 IX 180. — v. 279—282 Iosu. 10, 12 sqq.

cap. XIV. (lib. II 285—322.)

Thiofridi argumentum: *Quod procurator cuiusdam agelli divitis repentina morte interiit, quia iniuriam ei intulit*. — Cf. Alcuin. vit. W. I 15. II 15.

v. 289 *verbo:* Christo. — v. 296 Act. apost. 9, 15 *vade, quoniam vas electionis est mihi iste* (Paulus). — v. 297 epist. ad Corinth. I 9, 22 *omnibus omnia factus sum*. — v. 301 *discursu spirituali:* in itinere, quod ut pater spiritualis fecit ad visitandos eos, qui sibi subditi erant. — v. 302 Alcuin. v. W. I 15 *ad quandam suae dicionis cellulam, quae ex nomine praeterfluentis aquae Suestra dicitur*. ad quae Wattenbachius: '*Suesteren in pago Mosacensi sanctimonialium monasterium, quod Pippinus Willibrordo concesserat*'. —

v. 305 Frontin. expos. formar. p. 38 Goës. *rigor est quidquid inter duo signa velut in modum lineae rectum perspicitur.* — v. 307 Alcuin v. W. I 15 *custos segetum.* — v. 311 Verg. ge. I 447 *ubi pallida surget Tithoni croceum linquens Aurora cubile* similiter id. Aen. IV 585.

cap. XV. (lib. II 323—360.)

Thiofridi argumentum: *De aqua oratione eius producta de terra harenosa.* — Cf. Alcuin. vit. Will. I 16. II 16.

v. 328 Lucan. IV 305 sq. *quoque minus possent siccos tolerare vapores, quaesitae fecistis aquae.* — v. 330 *condescendit eis:* eis obsecundat, opitulatur. — v. 340 Exod. 7, 9. — v. 341 Exod. 7, 20. — v. 342 sq. Exod. 15, 25. — v. 343 ligno, typo crucis, immisso. — v. 344 sq. Exod. 17, 6. — v. 353 *nunc usque scatentem.* Wattenbachius ad Alcuin. v. W. I 16 haec secundum Mabillonem: '*eadem cisterna inquit Ioh. de Beka in Chronico, nunc in territorio de Heyligelo patenter ostenditur, quae ab inquilinis illic habitantibus moderno tempore Puteus S. Willibrordi dicitur*'. — v. 360 non diffidentes Willibrordi virtuti (δυνάμει), sed timentes eum (Willibrordum) vexare.

cap. XVI. (lib. II 361—385.)

Thiofridi argumentum: *Quod bissenos inopes ex parvo itineris sui vasculo affatim refecit et vinum tamen non defecit.* — Cf. Alcuin. vit. Will. I 17. II 17.

v. 368. *xerampelinus:* colorem arefactorum vitium foliorum imitans; hinc 'xerampelinae' vestes eo colore tinctae. Thiofrido sine dubio ante oculos versabatur Iuvenal. 6, 519 *et xerampelinas veteres donaverit ipsi.* neglegens autem a Iuvenale additum esse *veteres* ipsum verbum *xerampelinae* significare putabat 'veteres contritas vestes'. structura est: nullo velamine nisi xerampelinis tecti, tegmine spinis conserto. ad haec verba cf. Verg. Aen. III 594 *consertum tegumen*

spinis. — v. 370 Alcuin. v. W. I 17 *specialem suam flasconem.* — v. 382 psalm. 134 (135), 6 *omnia, quaecumque voluit, dominus fecit.*

cap. XVII. (lib. II 386—422.)

Thiofridi argumentum: *Quod per baculum eius missum in pene vacuum enoforum inundavit cecubum et infusum est pavimentum.* — Cf. Alcuin. vit. Will. I 18 II 18.

v. 388 *sui claustri:* Epternacensis. Alcuin. v. W. I 18 *ad suum visitandi gratia monasterium.* — — v. 395 *promus:* horreum, apotheca, cella vini cf. III 230. — v. 398. *sustentamen:* fulcimen cf. Thes. nov. latin. p. 570 Mai. — v. 399 sq. lib. I (III) Reg. 17, 12. 14. 16. *auxilio fisus* sc. eius, cuius. — cf. Sedul. carm. pasch. V 265 *Non obeunte deo, cuius virtute retrorsum infernae patuere viae.* — v. 401 sqq. lib. II (IV) Reg. 4, 2 sqq. — v. 405 sq. cf. Alcuin. v. W. I 18 *sed eadem nocte in eo ipso vasculo vinum crescere caepit.* — v. 408 *penoris custos:* cellerarius (cf. Alcuin. l. l.). — v. 410 *solum solus adit:* sc. Willibrordum penoris custos. — v. 413 super ardua montis Thabor cf. ev. Matth. 17, 1—9. Marc. 9, 1—9. (Luc. 9, 28—36.)

cap. XVIII. (lib. II 423—447.)

Thiofridi argumentum: *Quod duobus ferme sextariis exuberante divinae benedictionis gratia quadragenis convivis in uberi propinavit sufficientia.* — Cf. Alcuin. vit. Will. I 19 II 19.

v. 427. *vitis verae palmes:* Willibrordus. cf. ev. Iohann. 15, 5. — v. 428 *mira virtute:* δυνάμει, ut saepe in hoc carmine. — v. 429 de quattuor artis vasis (flasconibus) vimine contextis cf. Alcuin. v. W. I 19 *quatuor modicas flascones, quas tantum in itineris solacium secum sui socii ferebant, iussit afferri.* — v. 430 singula vascula heminam capiebant. — v. 432 *aquae iugis fons* cf. supra ad II 73. — v. 436 ev. Iohann.

12, 24. epist. ad Corinth. I 15, 36. 37. — v. 437—441 ev. Matth. 14, 15 sqq. Marc. 6, 35 sqq.

cap. XIX. (lib. II 448—520.)

Thiofridi argumentum: *De paena et reparatione divitis, qui eum a suis abegit pascuis.* — Cf. Alcuin. vit. Will. I 20. II 20.

v. 451 Verg. Aen. IV 6 *Phoebea lustrabat lampade terras.* — v. 453 movere caput minitantis est cf. Hor. sat. I 5, 58. — v. 454 Horat. sat. I 7, 1 *proscripti Regis Rupili pus atque venenum.* — v. 455 Alcuin. v. W. I 20 *equos cedere caepit et pascuis abigere.* — v. 463 Verg. Aen. I 539 *quaeve hunc tam barbara morem permittit patria.* — v. 465 Verg. ge. II 201 sq. *et quantum longis carpent armenta diebus exigua tantum gelidus ros nocte reponet.* cf. supra ad II 72. — v. 473 Horat. epist. II 1, 199 sq. *narrare putaret asello fabellam surdo.* — v. 474 ὄνος λύρας proverbium graecum, quod commemoratur a Martian. Cap. VIII 807. — v. 476 *aretalogus:* qui de virtute garrit cf. Iuven. 15, 16. — v. 484 Lucan. IX 718 *et torrida dipsas.* est genus serpentis. — v. 490 sq. Lucan. IX 742 sqq. *ignis edax calidaque incendit viscera tabe* (al. *flamma*), *ebibit umorem circa vitalia fusum, pestis et in sicco linguam torrere palato coepit, defessos iret qui sudor in artus.* — v. 495 Lucan. IX 751 *ille vel in Tanaim missus Rhodanumque Padumque arderet.* — v. 497 Iuvenal. 6, 236 *advocat Archigenen.* Archigenes medicus Domitiani, Nervae, Traiani aetate celeber. — v. 503 Lucan. IX 746 *oculos lacrimarum vena refugit.* — v. 508 Verg. Aen. III 590 *macie confecta suprema.* — v. 512 *rem significatam:* clementiam. — v. 518 *est generatus:* factus est sc. Willibrordus.

cap. XX. (lib. II 521—574.)

Thiofridi argumentum: *De sanctimonialibus Treveri sanitati restitutis pestilentia effugata eius precibus.* — Cf. Alcuin. v. Will. I 21. II 21.

Theodericus in vita sanctae Irminae cap. 6 (M. G. SS. XXIII p. 49 lin. 37):

Hanc [ecclesiam Epternacensem] *quodam tempore visitatum de Traiecto venerat, cum ecce pestis letifera sanctimoniales de Horreo* *) *invaserat. Nam languescebant subito subitoque cadebant et iuxta prophetam pervenit gladius usque ad animam. Advocatus sanctus Willibrordus post castigationis exhortamina, post consolationis medicamina pro salvatione eorum salutarem victimam immolavit et benedicens aquam et omnia earum habitacula aspergens exterminatoris angeli imminentem gladium ab eis propulsavit.*

Ad haec Theoderici Lud. Weilandus annotat: *Haec de pestilentia ex Thiofridi Vita Willibrordi* [prosaica] *c. 20 desumpta videntur, qui dicit 'in oratorio perpetuae virginis theoticos Mariae, ubi sanctimonialium sunt contubernia', haec contigisse.*

v. 521—539. Fabula de Trebita, Semiramidis privigno, urbis Treverorum conditore per medium aevum vulgatissima. Thiofridus in Vita pros. cap. 20: '*Urbs Treverica, ut moderno tempore in tumba quadam inventa declarant epigrammata, condita et Treberis nominata est a privigno Semiramis, Nini coniugis, Trebeta*'. eius fabulae cognitionem hausit ex Gestor. Treverorum cap. II (M. G. SS. VIII p. 130 sq.), quae licet paullo ante scripta quin Thiofrido innotuerint, non dubitabit, qui ibi quae narrantur comparaverit. extant autem ibi haec: '*Anno ante urbem Romam conditam millesimo ducentesimo quinquagesimo urbs Treberis in Europa auctore Trebeta profugo, filio Nini, ... condita est .... Trebete* [i. e. Trebetae] *mortuo Hero filius in principatu successit .... Hero patris sui merita tabulae marmoreae inscripsit, quam ad eius memoriam pariter et futurorum notitiam cum eo recondidit ad instar huiuscemodi.*

---

*) Cf. ibid. cap. 4. '*Treberi in honore theotocos Mariae aedificato monasterio in loco qui dicitur Horreum*'. Hodie *Oeren* seu *St. Irminen.*

Nisi Semiramis, quae tanto coniuge felix
Plurima possedit, set plura prioribus addit
Non contenta suis, nec totis finibus orbis
Expulit a patrio privignum Trebeta regno,
Profugus insignem nostram qui condidit urbem.
Treberis huic nomen dans ob factoris amorem,
Quae capud Europae cognoscitur anteritate,
Filius huius Hero patris haec epigrammata pono,
Cuius ad inferias hic cum Iove Mars tenet aras
Sidere concordi; pax est non dissocianti.'

horum versuum 5—8 aliter distinxi atque Waitzius, recte puto. — v. 528 cf. Iustin. epit. histor. Phil. Trogi Pompei I 2, 8 *siquidem* (Semiramis) *non contenta adquisitos viro regni terminos tueri.* — v. 529 cf. ibid. I 2, 7 *haec Babyloniam condidit murumque urbi cocto latere circumdedit.* — v. 537 *dat nomen* sc. Hero filius. — v. 541 *cosmeta* h. l. non est exornator sed exornatrix. — v. 542 Horat. epod. 13, 1 *horrida tempestas caelum contraxit.* Sil. It. IV 442 *fertur ab immenso tempestas horrida caelo.* — v. 543 *Virginei flores* idem locus Bedae comparandus quem laudavimus ad IV 329. — v. 544 *fuscant lilia sentes* cf. Sedul. carm. pasch. I 277 *ne mollia sentibus uram lilia.* — v. 546 *rex interitus:* Mors. — v. 547 cf. Alcuin. v. W. I 21 *Cuius* (pestis) *acerbitate multae ex ancillis Dei moriebantur, quaedam longo infirmitatis dolore iacentes in lectulo, ceterae vero nimio terrore turbatae, quasi praesentem mortem metuentes.* — v. 549 Verg. Aen. II 368 *crudelis ubique luctus* ibid. IX 415 *longis singultibus ilia pulsat.* — v. 550 *mater spiritualis:* Sancta Irmina abbatissa, quae monasterium illud condidit. — v. 553 structura mutatur. *comitemque addi* cf. Verg. Aen. VI 528 *comes additur una.* — v. 554 Verg. Aen. II 487 *penitusque cavae plangoribus aedes femineis ululant.* — v. 557 *missos:* nuntios. — v. 558 *mersae res* leguntur Ovid. met. I 380. — v. 561 sqq. Alcuin. v. W. I 21 *missa pro infirmis celebrata.* — v. 562 *stayros* graece σταυρός. nominativi forma hic indeclinabilis posita pro genetivo. —

v. 566 *compunctio:* paenitentia. — v. 570 *extentamque manum* cf. Isai. 9, 12 (17. 21. 10, 4. 5, 25) *in omnibus his non est aversus furor eius, sed adhuc manus eius extenta.* — *gladiumque repressit adactum:* Lucan. IV 560 *nec vulnus adactis debetur gladiis.*

cap. XXI. (lib. II 575—631.)

Thiofridi argumentum: *De fantasmate excluso eius benedictione de cuiusdam patris familias domus miserabili infestatione.* — Cf. Alcuin. v. W. I 22. II 22.

v. 575 *his actis:* postquam haec acta sunt. — v. 576 sq. cf. lib. Tobiae 6, 12—15. v. 579 *ephialtes:* incubus, daemon, germanice 'kobold'. — v. 594 phasma paullum discessit nec vero ita longe recessit. — v. 595 *ultum* est supinum. se ulcisci Cic. orat. I 8. Ovid. ex Pont. I 8, 20. — v. 604 Verg. Aen. VIII 224 *pedibus timor addidit alas.* — v. 605 Ovid. met. XI 419 *ter fletibus ora rigavit.* cf. ex Pont. II 11, 9. Verg. Aen. VI 699. IX 251. — v. 614 cf. Verg. Aen. VI 622 *fixit leges pretio atque refixit.* — v. 617 *solutas* sc. in cinerem. — v. 618 Verg. ge. I 81 *cinerem immundum iactare per agros.* — v. 622 cf. epist. Petri II 2, 20 *facta sunt eis posteriora deteriora prioribus.* — v. 623 Verg. Aen. IV 295 *parent ac iussa facessunt.* — v. 625 Alcuin. v. W. I 22 *Quibus ita gestis vacuam domum a loco lectuli ignis invasit totamque consumpsit.* — v. 627 Verg. Aen. II 587 *ultricis flammae.* — v. 630 cf. supra ad v. 622.

cap. XXII. (lib. II 632—680.)

Thiofridi argumentum: *Quod filium ducis Karoli Pipinum baptismate consecravit et de eius imposterum sublimitate prophetavit.* — Cf. Alcuin. v. W. I 23. II 23.

v. 632 cf. supra ad I 110. *mons* fortasse ipsius auctoris calami lapsu irrepsit. sententia poscit *urbs* sive *arx,* cui non convenit *situs.* possis rescribere *non sita sub latebris est arx in vertice montis.* — v. 635 Karolus Martellus. — v. 637 *nimium:* valde, ut saepe

apud recentiores scriptores latinos. — v. 638 *vitae fonte* cf. supra ad I 69. — v. 640 Pippinus Brevis. *nomen avitum* sc. Pippini Heristalensis. — v. 641 *sibi symmystis* proprie eis, qui eisdem mysteriis initiati erant atque ipse, i. e. confratribus suis, monachis, cf. Alcuin. v. W. I 23 *tale coram discipulis suis praedixit vaticinium.* ibid. II 23 *de quo discipulis praedixit talia vates.* — v. 647 Lucan. IV 576 *quam sit non arduua virtus* cf. Horat. carm. III 24, 44 *virtutisque viam deserit arduae.* — v. 649 cf. Vit. pros. c. 22 *Nec ullum Ysaicum verius declaratum est vaticinium.* non certa quaedam Isaiae significatur visio. — v. 650 *assecla regum:* maiordomus. — v. 661 cf. Verg. Aen. IV 247 *Atlantis duri, caelum qui vertice fulcit.* ibid. VIII 137 (Atlans) *aetherios umero qui sustinet orbes.* — v. 662 Lucan. VIII 291 *Caspiaque immensos seducunt claustra recessus;* cf. etiam Lucan. VIII 222. Val. Flacc. V 124. — v. 663 sq. primus imperator romanus cum primo imperatore Germaniae comparatur. — v. 669 cf. Verg. Aen. IV 93 *spolia ampla refertis.* — v. 675 *hoc* cum *anno* iungendum. *lusimus:* hoc carmen condidimus. annus Henrici IV. quadragesimus nonus est post Christum natum millesimus centesimus quintus. — v. 676 sqq. nam ceu tractu directo ex puncto linea fit, sic stemma per naturalem tenorem ductum Giselam protulit. cf. Vit. pros. cap. 22.*) *Per naturales enim genealogiae ramos stema longo ductu pervenit ad Luothowicum quendam egregium Franciae regem* [IV. Ultramarinum, qui obiit a. 954], *Lotharii regis et Karoli ducis* [Lotharingiae inferioris] *genitorem, cuius filiam* [Mathildim] *Cuonradus dux Burgundionum duxit uxorem, de qua genuit patris eius* [sc. Heinrici IV.] *aviam, gloriosissimi Heinrici tercii imperatoris, Giselae videlicet divae memoriae imperatricis matrem* [Gerbergam nomine, nuptame Hrimanno II. duci Alamanniae]. stemmatis igitur a Pippino Landensi usque ad Hein-

*) Verba uncis inclusa debentur Ludewico Weilando.

ricum IV. ducti linea directa haec est: 1. Pippinus Landensis, 2. Begga nupta Ansgisilo duci, 3. Pippinus Heristalensis, 4. Karolus Martellus, 5. Pippinus Brevis, 6. Karolus Magnus, 7. Ludowicus Pius, 8. Karolus Calvus, 9. Ludowicus II. Balbus, 10. Karolus Simplex, 11. Ludowicus IV. Transmarinus, 12. Karolus dux Lotharingiae inferioris, 13. Mathildis nupta Konrado regi Burgundionum, 14. Gerberga nupta Hermanno II. duci Alamanniae, 15. Gisela nupta Konrado II. Salio, 16. Heinricus III., 17. Heinricus IV. Cf. etiam Burchardi et Cuonradi Urspergensium Chronicon (M. G. SS. XXIII p. 338 lin. 41): *Prefatus Cuonradus uxorem Giselam nomine de antiquo et glorioso Karulorum sanguine oriundam habuit, sicut quidam his versibus attestantur:*

Quando post decimam numeratur linea quarta,
De Karulo magno processit Gisela prudens.

cap. XXIII. (lib. II 681—720.)

Thiofridi argumentum: *Quod sanctum Bonifacium sibi in regimine episcopali succedere rogavit.* — Alcuinus in vita Will. eius rei mentionem fecit nullam. — Theodericus in Chronico Epternacensi lib. II. (M. G. SS. XXIII p. 62 lin. 10) haec habet: *Inde Fresiam revertens* (Bonifatius) *Rabodo mortuo sancto Willibrordo per tres annos adhesit et cum eo in destruendis fanis et aedificandis templis Dei viriliter laboravit.*

v. 684 *noys* (νοῦς) pro genetivo accipiendum; *obtutum noys* i. e. aciem mentis. — v. 686 *contiolae* cf. supra I 519. — v. 691 *sibi:* ei, Willibrordo. — v. 695 Verg. Aen. V 395 sq. *gelidus tardante senecta sanguis hebet frigentque effetae in corpore vires.* — v. 696 *cassatur* cf. Papiae gloss. '*cassare: evacuare, privare, castrare*'. — v. 698 *excurso stadio* cf. Terent. adelph. 860 *prope iam excurso spatio.* — v. 708 sq. Numeri 8, 25 *cumque quinquagesimum annum aetatis impleverint, servire cessabunt.* — v. 711 Gregorius II. papa. *apostolicus* cf. ad I 466. — v. 713 *verbi sumen.* sumen proprie significat ubera suis femi-

nae, deinde pinguissimam partem ventris. tropice igitur usurpatur h. l. pro deliciis verbi divini. — v. 715 Pers. sat. 5, 36 *Me tibi supposui.* — v. 717 *famine* cf. supra ad II 178.

cap. XXIV. (lib. II 721 — III 45.)

Thiofridi argumentum: *De eius formae pulchritudine et naturali diiugio corporis et animae et augmentato divinitus tumbae eius marmore et divino ibi sepius viso lumine et fumo aromatum instar densissimae nebulae.* — Cf. Alcuin. vit. Will. I 24. 26 init. 25. 27 fin. II 24. 26. 25. 27 fin.

v. 725 *per speculum carnis* cf. I 74. — v. 726 cf. lib. I (III) Reg. 1, 3. — v. 727 ut Abisag Davidem senem fovit, ita Sapientia Willibrordum senem amplexa est. *senem virentem* cf. Verg. Aen. VI 304 *viridis senectus.* — v. 728 *munere minuit* i. e. impedivit, quominus munere suo fungeretur tam bene quam ante. — v. 731 epist. I. ad Corinth. 13, 12 *videmus .... tunc autem facie ad faciem.* — v. 735 evang. Iohann. 21, 15. 16. 17. — v. 739 Genes. 3, 19. — v. 743 *carmen amoris:* canticum canticorum. — v. 744 Cantic. cantic. 2, 11. 12 *Iam enim hiems transiit, imber abiit et recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit.* — v. 745 ibid. v. 10 '*Surge, propera, amica mea ... et veni*'. *intra* ab intrando. — v. 747 *verbum sub carnis imagine progenitum:* Christus cf. evang. Iohann. 1, 14. — v. 748 *dispare*, quia 'novem' numerus impar est; cf. supra I 489 et de re ipsa Mart. Cap. VII 748 *omnis vero numerus aut par aut impar est.* — v. 752 Cantic. cantic. 3, 6 *quae est ista, quae ascendit per deserta sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhae.* aromaticus fumus etiam infra IV 119 legitur. — v. 753 Lucan. IX 9 *aeternos animam collegit in orbes.* potest dubitari, utrum *teretem* cum *psychen* an cum *orbem* iungendum sit. certe *orbis* vocatur *teres* ab Ausonio in Ludo septem sapient. Solon. v. 8. — v. 754 Lucan. IX 12 sq. *stellasque vagas*

miratus et astra fixa polis. — v. 756 *crevit* a cernendo: vidit. Lucan. IX 13 sq. *vidit, quanta sub nocte iaceret nostra dies.* — v. 757 cum civibus urbis Sion. — v. 759 Horat. sat. I 5, 32 *Fonteius ad unguem factus homo.* pernox et in hoc et in sequenti versu praedicative intellegendum. Alcuin. v. W. I 26 *Sed et cuidam relegioso sancti viri discipulo longius posito, in oratione vigilanti obitus eius revelatus est. Nam vidisse se testatur animam sanctissimi patris sui cum magna luminis claritate, cum consona canentium laude, angelicis exercitibus ad caelorum regna portari.* — v. 761 *lumine mentis:* animi quasi oculis. — v. 765 Lucan. IX 169 *Exemploque carens et nulli cognitus aevo luctus erat.* — v. 766 Alcuin. de sanct. Eubor. eccl. 1585 *Eius ad exequias magnum concurrerat agmen.* — v. 770 *medio:* dimidio. — v. 777 '*polyandrum: coemeterium quasi politum antrum*'. sic thes. nov. lat. p. 474 Mai. apparet istam vocabuli interpretationem absurdam esse, cum sit graecum πολυάνδριον i. e. multorum hominum sepulcretum. quod ad formam *polyandrum,* videtur neutrum esse adiectivi πολύανδρος. *polyandrum* pro coemeterio etiam extat in Translatione S. Celsi cap. 7 (M. G. SS. VIII p. 206[a], 25). — v. 779 sqq. Alcuin. v. W. I 25 *Sed et miri odoris flagrantia* (i. e. fragrantia) *omnium perfuderat nares, ut perspicue intellegeretur ad exequia viri sancti angelicum venisse ministerium.* — lib. III v. 8 *carnis lemmata* cf. supra ad I 22. — v. 15 *vitae curia:* universitas eorum, quorum nomina scripta sunt in libro vitae (cf. Apoc. Ioh. 3, 5. 13, 8. 17, 8. 21, 27). — v. 16 interpretor: ubi deus accubuit, ibi Willibrordus cenavit et mansit cum deo patre et accubitum suum suavi odore prodit. — v. 21 sqq. Vit. pros. cap. 24 (M. G. SS. XXIII p. 11 in nota) *Nam primo quidam linguae ac gentis Scotticae aggressus tanti viri gesta describere rustico stilo detrivit dignitatem hystoriae, dein Albinus, cognomento Alcwinus de Britannia, vir urbanae elegantiae, utpoti magni Karoli yperasspistes .... conatus est*

inurbanum lepido seponere dicto et incompta comere. — v. 23 cf. supra ad I 4. — v. 24 Horat. epist. II 3, 273 *Scimus inurbanum lepido seponere dicto.* — v. 25 Horat. epist. II 3, 359 *quandoque bonus dormitat Homerus.* — v. 26 *decurio* ut apud Sueton. Domit. 17 idem quod praefectus aulicorum generi cuidam. — v. 32 *demonstrativum genus: γένος λόγων ἐπιδεικτικόν* cf. Cic. de invent. I 3 et inprimis Martian. Cap. V 467. 468. *enthymemaque curvum:* Iuven. 6, 449 *curvum sermone rotato torqueat enthymema.* — v. 33 *cachectes* graece *καχέκτης* i. e. *ὃς κακῶς ἔχει* male se habens, ineptus, imperitus. — v. 35 *patres memores:* inprimis monachi Epternacenses. — v. 36 sqq. Alcuin. v. W. I 27 *Paenitentes quoque saepius ad eandem venientes ecclesiam circulis ferreis more solito circumdati ruptis circulis subito eorum vincula resoluta sunt. Cuius rei in ecclesia adhuc circuli pendentes testes sunt.* — v. 39 Horat. epist. II 1, 192 *esseda festinant, pilenta, petorrita, naves.* — v. 40 *mappae membrorum,* si non corruptum, nihil aliud significare potest nisi imagines. *pollice ex cera tractae* cf. Iuven. 7, 237 *mores teneros ceu pollice ducat, ut si quis cera vultum facit.* — v. 44 ea hebdomade, quae orditur a festo pentecostes. — v. 45 *confluat* sc. Gallia et Germania. *quadrifidus annus,* quia in quattuor anni tempora dividitur.

cap. XXV. (lib. III 46—61.)

Thiofridi argumentum: *De oleo quod super tumulum eius lucere et inter missarum solempnia usque ad effusionem consuevit excrescere.* — Cf. Alcuin. vit. Will. I 27 init. II 27 init.

v. 55 sqq. cf. lib. I (III) Reg. 17, 10 sqq. — v. 60 *manat ibi iugis fons* cf. supra ad II 73.

cap. XXVI. (lib. III 62—108.)

Thiofridi argumentum: *De paralytica ad eius tumulum curata et ephebi tremuli sanitate reparata.* — Cf. Alcuin. vit. Will. I 28. 29. II 30. 31.

v. 65 Verg. Aen. VI 48 *sed pectus anhelum.* Alcuin. v. W. I 28 *in solo tantummodo pectusculo vix anhelans spiritus suspiria fessa retraxit.* — v. 66 *hic:* in pectore anhelo. — v. 79—94 extat ea narratio apud Augustin. de civ. dei XXII 8 sub fin. — v. 79 *iunge:* par signo quod claruit apud Hipponem urbem. — v. 82 Verg. Aen. V 285 *geminique sub ubere nati.* — v. 87 cf. Sil. Ital. XI 560 *virus linguae.* — v. 88. Iuven. 6, 631 *livida materno fervent adipata veneno.* — v. 100 Lucan. V 172 *ancipiti cervice rotat.* — v. 102 Alcuin. v. W. I 29 *Nam aliquoties ita exanimis factus, ut omnino mortuus videretur.* — v. 103 Lucan. VIII 61 *Spe mortis decepta iacet. sandapilam:* ferculum. — v. 107 eis qui pro ipso carmina canebant.

cap. XXVII. (lib. III 109—222.)

Thiofridi argumentum: *De sacrilegio diaconi subitanea morte mortui.* — Cf. Alcuin. vit. Will. I 30. II 32.

v. 111 *non erat honestior ordo* sc. Epternacensi. — v. 115 cf. evang. Iohann. 12, 4—6. — v. 116 cf. ev. Matth. 7, 15. — v. 117 *vas ignominiae* cf. epist. ad Timoth. II 2, 20 *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea, sed et lignea et fictilia, et quaedam quidem in honorem, quaedam autem in contumeliam.* — v. 118—127 Zachar. proph. 5, 1 sqq. — v. 125 Iuven. 5, 125—127 *velut ictus ab Hercule Cacus et ponere foris, siquid temptaveris umquam hiscere, tamquam habeas tria nomina.* Thiofridus *tria nomina* intellegere videtur tres litteras vocis FUR cf. infra IV 352 *est ibi commissum grave per tria nomina furtum.* — v. 132 Verg. Aen. I 728 *gravem gemmis auroque . . . pateram.* — v. 133 Verg. Aen. VII 246 *Hoc (sceptrum) Priami gestamen erat.* — v. 142 flevit sacrilegum, non flevit vix rep. d. cf. Alcuin. v. W. I 30 *fraterna tamen pietate hominem ad poenitentiam revocare nitentes, non perdere cupientes.* Ovid. met. I 379 *qua generis damnum reparabile nostri.* —

v. 144 intellege: grex domini sedit tristis cum tristi patre spirituali, ut se exhortarentur et disquirerent quod se lateret. — v. 150 furem hostem iudicavit i. e. excommunicavit. — v. 153 epist. ad Corinth. I 16, 22 *si quis non amat dominum nostrum Iesum Christi, sit anathema, maranatha.* — v. 154 *derisor Anubis* proverbialiter dictum; respicit ad Iuven. 6, 534 *currit derisor Anubis.* — v. 162—222 similem admonitionem Alcuinus l. l. huic narrationi adiungit. — v. 166 Genes. 39, 12. *zelotypae Phariae* i. e. Aegyptiae zeli ardore incensae. videtur autem Thiofridus ante oculos habuisse Iuven. 6, 278 *zelotypae .... moechae* et inde adductus, ut zelotypam pro moecha poneret. cf. quae adnotavimus ad II 368. — v. 169 epist. ad Galat. 6, 14 *in cruce domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo.* — v. 172 *divina monade* cf. Martian. Cap. VII 731 init. *prae cunctis igitur adfata sacra monas esto.* — v. 173 Martian. Cap. l. l. *hanc quoque* (monadem) *alii concordiam, hanc pietatem amicitiamque dixere.* ibid. 732 *Denique cum unum facta* (monas) *in quodcunque defluxerit, licet eius linea insecabilis ac sine latitudinis significatione fundatur, dyadem tamen facit ... quae dyas ... discordia, ex qua diversa oriantur.* — v. 174 ibid. paullo infra: *eademque* (dyas) *societas, quod vinculum, quo media conectantur, habeatur utrimque commune.* itaque hic versus ita explicandus: ne sit inter vos alia linea dyas, nisi quae ab ea proficiscitur, quam amor tendit. — v. 181 sqq. lib. Iosuae 7, 1. 24. 26. nomen furis in libro Iosuae *Achan* sonat, forma *Achar* occurrit in libr. I Paralip. 2, 7. — v. 185 sqq. lib. II. (IV.) Reg. 5, 27 sqq. *contio vestri* cf. supra ad I 371. — v. 190 *amicus amicum:* Elisaeus Giezium. — v. 192 Act. apost. 9, 36 sqq. — v. 193 sqq. Act. apost. 5, 1—10. — v. 198 Horat. epist. I 16, 55 *modium si subripis unum* cf. infra ad v. 204—207. — v. 200 epist. ad Corinth. I 9, 13 cf. etiam ibid. v. 7. — v. 204—207 ad verbum fere concinunt cum Horat.

epist. I 16, 53—56. — v. 209 *non lege sacrum:* noli sacrilegus esse. *Celaeno:* harpyia cf. Verg. Aen. III 245 et inprimis Iuven. 8, 130 *nummos raptura Celaeno.* — v. 213 *regula:* sc. monachica. — v. 214 sqq. interpretatio praecepti Paulini, ad quod provocavit fur supra v. 200. Paulus (in epist. ad Corinth. I 9, 7—14) aequum censet eos, qui altari assideant, in altari mysteriis satiari ac sumptibus de communi concessis uti, non aequum putat clam quidquam auferri, sed sacrilegos removeri iubet. — v. 220 ev. Matth., 21, 13 *domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum;* similiter Marc. 11, 17. — v. 221 sq. ev. Iohann. 2, 14. 15 (cf. Matth. 21, 12. Marc. 11, 15).

cap. XXVIII. (lib. III 223—293.)

Thiofridi argumentum: *De augmentato divinitus vino in sancti Wilgisli festo.* — Cf. Alcuin. vit. Will. I 31.

v. 225 *Wilgisli* cf. I 25. — v. 227 *chroma:* carmen; cf. Martian. Cap. IX 955 *genera modulandi sunt tria ἐναρμόνιον, χρῶμα, διάτονον.* — v. 229—232 Alcuin. v. W. I 31 *sed in eo monasterio nil plus vini inventum est, quam duae tantummodo flascones, quarum una prandii hora epotata est, altera in horam cenae reservata est.* — v. 230 *promus* cf. supra ad II 395. — v. 234 Catalog. abb. Eptern. I. (M. G. SS. XXIII p. 30 lin. 36.) *Anno incarnationis Domini 738, indictione 7. migravit ex hoc mundo sanctus Willibrordus, relinquens huius loci* [monasterii Epternacensis] *provisorem Albertum abbatem; fuitque temporibus regum Clodovei, filii Dagoberti, et Clotarii, filii Clodovei, et Theoderici, fratris Clotarii . . . principumque Francorum Pippini, filii Anschisi ex Begga sorore sanctae Gertrudis, ac filii eius Karoli bellicosi cognomento Martelli. Albertus praefuit huic loco 38 annis . . .* — v. 238 *quis:* vos, quibus. — v. 247 *villi:* est deminutivum vocis vini. — v. 257 *patri, proli:*

Wilgislo et Willibrordo. — v. 259 ab hoc versu incipit nova narratio, cuius in Thiofridi argumento supra allato mentio nulla facta est. ea in Vita prosaica omnino non perscripta esse videtur. veri haud dissimile est Thiofridum eam pro cap. XXIX, quod in Vita metrica non comparet, substituisse.

v. 260 *summis primatibus superae aulae* ut puta archangelis, patriarchis, clarissimis viris sanctis. — v. 263 *laetamine:* stercore. — v. 269 *constat* cf. ad II 277. — v. 276 *iusum:* forma sermonis vulgaris pro 'deorsum' cf. Augustin. tract. VIII. in ep. S. Iohann. n. 2 *Quod susum, faciens iusum; quod deorsum, faciens sursum. iusum vis facere deum et te susum?* id. tract. X n. 5 *susum me honoras, iusum me calcas* cf. etiam fragmentum in cod. mus. Britannici inter Arundelianos N. 390 fol. 132 (M. G. SS. VIII p. 461 lin. 33) *certe tu impressisti puerum, ut iret iusum in fundo aquae.* — v. 289 *astula* i. q. assula, quod idem valet ac festuca. — v. 289 *pestis gravis gingivae:* scorbutus, ni fallor. — v. 290 *quingentis annis*: numerus, ut aiunt, rotundus; nam ab obitu Willibrordi 738 vel 739 usque ad eum annum, quo Thiofridus Vitam metricam scripsit, 1105 ne quadringenti quidem anni numerantur. — v. 293 iunge: deifideli.

[cap. XXIX.]

Non comparet in Vita metrica; cf. quae modo diximus ad II 259. quid cap. 29 Vitae prosaicae contineatur, docet

Thiofridi argumentum: *Quod sanctus Willehadus Eflernaco duobus annis heremiticam vitam exercuit in reclusione, et Beornradus et Stigandus archipresules ibidem conversati sunt ingenti devotione.* — eius capitis particulam publici iuris fecit Ludewicus Weiland. in M. G. SS. XXIII p. 25.

cap. XXX (lib. III 294—375.)

Thiofridi argumentum: *Quod sanctam Amalbergam, quam in carne degens chrismatis unctione conse-*

craverat, post mortem sacro velamine in visione velavit.

v. 297 *bethula:* hebraice בְּתוּלָה virgo. de betula arbore cogitare non licet. — v. 298 *cibum solidum* cf. ep. ad Hebr. 5, 12. 14. — v. 300 *formam parit:* exemplum praebet. — v. 301 sq. Gen. 34, 1 sq. — v. 306 *puerpera virgo,* quod est Mariae, matris Christi, proprium et verum epitheton, inepte dicitur de Amalberga, nisi forte Thiofridus eodem sensu posuit, quo virgo castissima. — v. 308 *genitor mortis, vitae ferus hostis:* diabolus. — v. 310 Lucan. I 288 *livor edax tibi cuncta negat* cf. Ovid. amor. I 15, 1. — v. 313 *eulogias:* benedictiones i. e. res benedictas. — v. 316 lacertus durior est factus. — v. 321 *celeres* vice adverbii. — v. 329 cf. Bedae hymn. de sancta virg. v. 16 (in hist. eccl. Angl. IV 20): *Virgineos flores huius honor genuit.* — v. 336 *dictum signum:* de quo modo dictum est. — v. 345 scilicet Sancta Thecla et Sancta Agnes intellegendae. Bedae hymn. de sancta virg. v. 19 sqq. (in hist. eccl. Angl. IV 20):

Casta feras superat mentis pro culmine Tecla,
Euphemia sacra casta feras superat.
Laeta videt gladios ferro robustior Agnes,
Caecilia infestos laeta videt gladios. —

v. 346 *mater Maria,* h. l. non est mater Christi, sed Maria Lazari soror; cf. ev. Luc. 10, 42 *Maria optimam partem elegit. mater* epitheton honorans sanctarum mulierum, ut *pater* virorum. — v. 352 Verg. Aen. V 782 *preces descendere in omnis.* — v. 355 *sui sponsi:* Christi. — v. 356 *non cor apposuit* cf. ad I 292. — v. 358 Ovid. met. V 605 *ut fugere accipitrem penna trepidante columbae* cf. Horat. carm. I 37, 17 *accipiter velut molles columbas. sine felle columba* Isidor. Orig. VII 3, 22 *haec enim avis* (columba) *corporaliter ipso felle caret habens tantum innocentiam et amorem.* ev. Matth. 10, 16 *estote ... simplices sicut columbae.* cf. IV 208. — v. 364 Sancta Gertrudis filia Pippini Landensis, soror Beggae

uxoris Ansgisili cf. notam ad III 234. — v. 367 *sacravit velum* sc. Willibrordus, non Gertrudis; cf. supra Thiofr. argum.

cap. XXXI. (lib. IV 1—48.)

Thiofridi argumentum: *De monomachia constituta propter inundationem maris super agrum eius dicionis.*

v. 4 Ovid. met. XIV 51 sq. *Parvus erat gurges, curvos sinuatus in arcus Grata quies Scyllae.* — v. 5 sq. Verg. Aen. I 172 sq. *egressi optata potiuntur Troes harena et sale tabentis artus in litore ponunt.* — v. 10 Verg. ecl. 3, 100 *quam pingui macer est mihi taurus in ervo.* — v. 13 Lucan. V 620 *monstriferos agit unda sinus.* cf. Valer. Flacc. II 498. — v. 18 *tractant:* perpendunt, secum considerant, ut saepe apud seriores poetas latinos cf. ex. gr. Dracont. Orest. (ed. Peip.) v. 920. — v. 24 Ovid. met. IV 353 *alternaque brachia ducens.* — v. 25 Verg. Aen. V 429 *inmiscentque manus manibus.* — *aemula virtus* Lucan. I 120 *stimulos dedit aemula virtus;* cf. Horat. epod. 16, 5. — v. 29 Sil. Ital. V 625 *et retro fluctus torsit mare.* — v. 34 *implet:* perficit. — v. 37 iurat ea, quae sibi credita sunt, tradita esse. — v. 47 cf. Verg. ge. IV 421 *deprensis olim statio tutissima nautis.*

cap. XXXII. (lib. IV 49—74.)

Thiofridi argumentum: *De custode sanctae Treverensis aecclesiae Hilderico per eius merita de horribili tempestate eruto in Iherosolimitano itinere.*

v. 55 Verg. Aen. III 267 *iubet laxare rudentes.* — v. 56 Verg. Aen. I 84 *incubuere mari* ibid. v. 82 *venti velut agmine facto.* — v. 57 sq. Lucan. V 609 *Aeolii iacuisse Notum sub carcere saxi* cf. Verg. Aen. I 52 sqq. — v. 58 Verg. Aen. I 86 *vastos volvunt ad litora fluctus.* — v. 59 Lucan. V 613 *aequora rapta ferunt* ibid. v. 630 *lux etiam metuenda perit nec fulgura currunt.* — v. 60 ibid.

v. 597 *inde ruunt toto concita pericula mundo.* — v. 61 ibid. 642 *nubila tanguntur velis et terra carina.* — v. 62 sq. Verg. Aen. I 91 sq. *praesentemque viris intentant omnia mortem extemplo Aeneae solvuntur frigore membra.* — v. 65 sanctos nominatim advocat. — v. 66 ev. Matth. 8, 24. — v. 72 sq. ibid. v. 25. 26.

cap. XXXIII. (lib. IV 75—80.)

Thiofridi argumentum: *De severitate eius in adversarios et advocatos suae familiae incommodos.*

totum hoc caput Vitae prosaicae sat longum typis excudendum curavit Ludewicus Weiland in M. G. SS. XXIII p. 25 sq.

causam, cur in Vita metrica res ibi narratas tam breviter perstrinxerit, ipse auctor affert v. 80 *sed mandare stilo tot barbara nomina vito.*

cap. XXXIV. (lib. IV 81—143.)

Thiofridi argumentum: *De eius inventione et mirifica translatione.*

Vitae prosaicae cap. 34. initium, quod Ludew. Weiland typis mandavit in M. G. SS. XXIII p. 27 lin. 10 sqq., quia ad rem facit, hic placet repetere: *Anno vero antea progeniti verbi 1031, a transitu eiusdem paradoxi patris 292. recidivi reparata oratorii fabrica tocius religionis archytriclynio abbati Humberto cum unanimi sanctae congregationis assensu sedit sententia, ut 14. Kal. Novembris invitato preclui Popone sanctae Trevericae sedis archypresule et defensore Heinrico gloriosissimo duce Boariae inter dedicationis solempnia eius ossa transferentur in locum, ubi hodie cum reverentia et honore debito celebrantur recondita . . .*

v. 82 Sedul. carm. pasch. II 43 *verbum caro factum.* — v. 83 *dulce decus monachis* Horat. carm. I 1, 2 *dulce decus meum.* De Humberto in Catalog. abb. Eptern. II. (M. G. SS. XXIII p. 34 lin. 1.) haec

extant: *Humbertus abbas praefuit huic loco 24 annis, id est a 4. anno Cuonradi regis usque ad 13. Heinrici regis III, ac anno incarn. Dom. 1031 a Poppone Trevirorum archiepiscopo hoc monasterium dedicari fecit eademque die corpus beati Wilbrordi sub principale altare a loco sepulturae suae transtulit. Hic etiam monasterii opus a praedecessore suo inchoatum consummavit, claustrum quoque aedificiis, disciplina et religione prius neglecta emelioravit.* — v. 86 verba extrema pronuntianda sunt: 'Poppo jerarcham'. De Poppone cf. Gesta Treveror. cap. XXXI init. (M. G. SS. VIII p. 172 lin. 27) *Anno dominicae incarnationis 1015 Poppo archiepiscopus Trebirorum ordinatur.* obiit a. 1047. — v. 87 Heinricus VI., dux Bavariae, qui postea, cum imperator Germaniae factus esset, Heinricus III. appellatus est. — v. 96 *sarabara:* bracae. — v. 98 *delicti meminisset:* delicti sibi conscius fuisset. — v. 102 *constat* vide ad II 277. — v. 124 Verg. Aen. IX 180 *Troiana neque induit arma.* — v. 129 *pignoribus:* natis (filiis vel filiabus) ut iam apud Ovidium, maxime autem apud scriptores africanos. — v. 131 nec utilitate brevis precationis defraudatus. — v. 137 '*quilismata: vibrationes vocum*' Gloss. apud Löwe prodr. gloss. p. 377. videtur ex graeco *κυλίσματα* depravatum. — v. 140 sq. cf. supra ad v. 83. — v. 143 *signa:* miracula. de similitudine cf. Genes. 22, 17 *multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli et velut arenam, quae est in litore maris.* Sedul. carm. pasch. I 85 sq. *Cuncta quis expediet, quorum nec lucida caeli sidera nec bibulae numeris aequantur arenae.*

cap. XXXV. (lib. IV 144—222.)

Thiofridi argumentum: *De palma victoriae Walchrensibus contra Ruopertum comitem Flandriae concessa eius iuvamine.*

totum hoc caput Vitae pros. a Ludewico Weiland typis mandatum in M. G. SS. XXIII p. 27 sq.

v. 144 *his donis* est instrumentalis. — v. 144—149 cf. Vit. pros. l. l. *In Walichrensi vero insula, ubi sanguis eius effusus est pro Christi confessione et gloria, frequentius adest per spiritus sui presentiam, quia cum signa non sint fidelibus sed infidelibus, novit efferae gentis suo ingenti sudore fidei regulis imbutae non posse emolliri et ad cultum ac amorem divinum constringi duriciam, nisi per signorum presentiorem et frequentiorem efficatiam.* — v. 150—157 Vit. pros.*) *Divae memoriae presidis Flandriae Baldwini* [qui obiit a. 1067] *iunior filius Ruopertus* [I. cognomento Friso, qui Flandriam regebat a. 1071—1093] ... *interminatus est mortis interitum tocius insulae habitatoribus ... cum extremis hominum Morinis ... Sed quam terribilis visus est eius introitus, tam turpis et foedus subsecutus est exitus.* — v. 152 Verg. Aen. VIII 727 *extremique hominum Morini.* — v. 167 Vit. pros. *pixydem, in qua illius continentur reliquiae, in vexilli suspenderunt cacumine.* — v. 172 sq. Vit. pros. *Nemo in prelio fugam cogitavit, nemo in pedibus spem, sed in lacertis habuit, quia pulchrum et dulce pro patria mori mentes omnium subiit.* cf. Horat. carm. III, 2, 13 *Dulce et decorumst pro patria mori.* — v. 177 lib. Iudith 14, 11 (12) *intrate et excitate illum; quoniam egressi mures de cavernis suis sunt provocare nos ad proelium.* — v. 179 Verg. Aen. XI 474 sq. *bello dat signum rauca cruentum bucina.* — v. 181 Verg. Aen. XI 599 *compositi numero.* — v. 182 Verg. Aen. XI 601 *tum late ferreus hastis horret ager.* — v. 183 Verg. Aen. IX 66 *ignescunt irae.* — v. 184 Lucan. VII 519 *ferro subtexitur aether* (nonnulli codd. *aer*). — v. 185 ibid. v. 520 *noxque super campos telis conserta pependit.* — v. 186 ibid. v. 517 *inde cadunt mortes.* — v. 187 sq. ibid. v. 489 sq. *Sed quota pars*

*) Verba uncis inclusa debentur Ludewico Weiland.

cladis iaculis ferroque volanti exacta est? odiis solus civilibus ensis sufficit. — v. 189 Lucan. VII 336 *non tam praecipiti ruerent in proelia cursu.* — v. 190 *spes cuius sub forti sedit et arcus* cf. Vulg. interpr. Genes. 49, 24 *sedit in forti arcus eius* i. e. fortis permansit arcus eius. propius etiam accedunt ad Vulgatae l. l. verba Vitae pros. *At Walichrensium populus, cuius in forti sedit arcus.* — v. 191 Lucan. VII 496 sq. *agmen in densos agitur cuneos.* — v. 192 ibid. 499 *tutoque latet sub tegmine pectus.* — v. 193 ibid. v. 498 *qua torta graves lorica catenas.* — v. 194 ibid. v. 502 *civilia bella una acies patitur, gerit altera.* — v. 196 ibid. v. 533 *sed hinc iugulis hinc ferro bella geruntur.* — v. 197 ibid. v. 532 *perdidit inde modum caedes.* — v. 200 sq. Lucan. III 573 *in ratibus cecidere suis. cruor altus in undis spumat et obducti concrescunt sanguine fluctus.* cf. Vit. pros. *Victi hostes cum ad naves refugerent, alii perempti in suis cecidere ratibus et obducti sunt spumante et concreto cruore fluctus et iuxta illud nobilissimi vatis dysticon*

semianimes alii vastum subiere profundum
hauseruntque suo permixtum sanguine pontum.

petiti sunt hi versus ex Lucan. III 576 sq. — v. 203 cf. Lucan. I 107 *plus illa vobis acie quam creditis actum est.* — v. 205 cf. psalm. 16 (17), 8 *sub umbra alarum tuarum protege me.* — v. 205—214 Vit. pros. *Dominus in umbra alarum suarum sperantes protexit et cum ferro subtexeretur aether noxque super campos telis conserta penderet* (cf. supra ad v. 185), *ne inde caderent mortes* (cf. supra ad v. 186) *in gloria sua exultantes, innumerum quod spargebatur missile aliorsum detorsit et largiores animos amministravit et se presentem per innocuae alitis presentiam demonstravit. Nivei enim coloris columba, instar eius, quae in cataclysmate ramum virentis olivae ad arcam Noae in ore reportans et baptis-*

matis mysterium presignans pacem terris redditam indicavit, ab acie nusquam recessit, sed usque ad consummationem victoriae, ut probatae fidei viris visum est, circumvolavit. — v. 208 cf. Sedul. carm. pasch. II 171 *per volucrem quae felle caret.* — *ales felle carens* cf. ad III 358. — *tropico theoremate:* figurata perceptione, quia significatur Spiritus sanctus. — v. 209 sq. Genes. 8, 10. 11. — v. 212 Verg. Aen. IX 764 *Iuno vires animumque ministrat.* — v. 214 *absque sui damno* cf. ad I 371.

cap. XXXVI. (lib. IV 223—362.)

Thiofridi argumentum: *De adventu ygumeni Thiofridi in Walichrensem insulam et pace ibi reformata et confirmata per iucunda miracula.*

longe maxima pars huius capitis Vitae pros. a Ludewico Weiland publicata est in M. G. SS. XXIII p. 28—30.

v. 223. Sallust. Iugurth. cap. 10 *concordia parvae res crescunt, discordia maxumae dilabuntur.* — v. 234 *Thifridum:* est auctor huius carminis. cf. prolegom. — v. 238 *parones:* genus navium. — v. 239 Horat. epist. I 18, 110 *neu fluitem dubiae spe pendulus horae.* — v. 241—244 subiectum enuntiati est populus ut v. 237—239. — v. 249 sq. Vit. pros. *Nec mora, subito fragore intonuit levum et turbida testantur conceptum aequora ventum* [Lucan. V 567], *iamque pola pressae nubes densantur in ymbres spissataeque fluunt et caumatis et siccitatis dispendia excludunt.* — v. 249 Verg. Aen. II 692 *subitoque fragore intonuit laevum* cf. ibid. IX 631. — v. 250 sq. Lucan. IV 76—78 *iamque polo pressae* (nubes) *largos densantur in imbres spissataeque fluunt nec servant fulmina flammas, quamvis crebra micent: extinguit fulgura nimbus.* de Lucani versu 78 cf. Oudendorpii annotatio. — Horat. sat. II 2, 80 sq. *curata sopori membra dedit.* cf. etiam supra I 174. — v. 257 *mandrita:* proprie monachus, hoc autem loco idem valet quod archimandrita, abbas cf. infra v. 324.

emporium memoratum: Antwerpum. — v. 263 *chroma:* carmen cf. ad III 227. — v. 265 in Vita pros. alio utitur versu introductorio ex Verg. Aen. V 42 desumpto: *Postera cum primo stellas oriente fugarat clara dies.* commemorare placet h. l. Thiofridum Vitae prosaicae verbis sat multos versus veterum poetarum inserere, sic paullo infra: *Sed 'ille regens dictis animos et pectora mulcens'*, qui versus non, ut L. Weilando videtur, ex Verg. Aen. V 464. 816 compositus, sed ex eiusdem Aeneidos libro I 153 petitus est. — v. 276 *verna dei:* Thiofridus, ut v. 291. — v. 281 Vit. pros. *adamantinum vero illius cor.* — v. 282 sq. *exiit, erupit ... sed non evasit* cf. Cic. Catil. II 1 *abiit, excessit, evasit, erupit.* — v. 284 *zabulus* corruptum ex 'diabolus' ut saepius apud recentiores scriptores latinos cf. ex. gr. Commodian. instr. II 16, 7. 18, 4. 19, 16. Anthol. lat. ed. Riese 204, 7. — v. 285 *nullius sexus artus:* neque maris nec feminae artus cf. Auson. epitaph. heroum 34, 1 sq. *Viginti atque novem genetrici Callicrateae nullius sexus mors mihi visa fuit* i. e. neque filii neque filiae. — v. 287 *vecti* pro vecte etiam extat apud Terent. eun. 774. — v. 293 *pectus anhelum* cf. ad III 65. — v. 296 Verg. Aen. VI 330 *stagna exoptata revisunt.* — v. 302 Vit. pros. *interpres domni ygumeni, Ekehardus cacnobita egregius, ante conversionem inter principes eiusdem insulae nominatissimus.* — v. 303 *mundo crucifixus* cf. ad III 169. — v. 310 Vit. pros. *impingebat et impingebatur, huc et illuc palpans, vacillans vertebatur.* — v. 320 Vit. pros. *steterunt ut stellae in stacione sua et ordine.* — v. 322 Vit. pros. *ut de singulis in utraque parte peremptorum familiis septena sanguine proxima eligerentur capita.* — v. 327 sq. Vit. pros. *depositis prius more gentis trigenis tripla compositione libris vellent nollent, ne qua dissensio nasceretur ex ante actis, in aeternam discordiarum oblivionem effecti sunt milites ultorum sanguinis.* clarius hinc, quam ex ante dictis,

apparet agi h. l. de vetere illo instituto necis ultionis, quod ut apud alias nationes ita apud veteres Germanos optinebat quodque germanice 'blutrache' vocatur. — v. 332 Vit. pros. *quod quasi dedecus improperii, nisi caelesti virtute essent coerciti, mallent morte lucrari quam perpeti.* — v. 342 Vit. pros. *et aurea fruges pleno cornu defudit copia* cf. Horat. epist. I 12, 28 sq. *aurea fruges Italiae pleno defundit Copia cornu.* — v. 349 *delonge* ex usu scriptorum ecclesiasticorum. — v. 352 *ibi:* in monasterio Epternacensi. *per tria nomina furtum* cf. ad III 125. — v. 361 Lucan. IX 984 *quantum Zmyrnaei durabunt vatis honores.* — v. 362 *Odyssea* non puto accusativum esse nominis Odysseus graeca formatione, sed indeclinabile positum vocabulum Odyssea, graece *Ὀδύσσεια.*

I.

INDEX SCRIPTORUM LAUDATORUM.

Antholog. lat. ed. Riese
204, 7 . . . . . IV 284

Augustinus
de civ. dei XXII 8
sub f. . . . . III 79
tract. 8. in ep. S.
Ioh. n. 2 . . . . III 276
tract. 10 n. 5. . . III 276

Ausonius
Cupido cruci aff. 1 II 93
lud. sept. sap. Sol. 8 II 753
epitaph. her. 34, 1 IV 285

Biblia sacra secundum Vulgatam interpretationem.
Genesis
1, 21 . . . . . II 217
2, 23 . . . . . I 59
3, 1 . . . . . II 155
3, 19 . . . . . II 739
8, 10. 11 . . . . . IV 209
12, 1. . . . . I 200
22, 17 . . . . . IV 143
34, 1 . . . . . III 301
39, 12 . . . . . III 166
49, 14 . . . . . I 395
49, 24 . . . . . IV 190

Exodus
3, 2 . . . . . I 34
7, 9 . . . . . II 340
7, 20. . . . . II 341
15, 25 . . . . . II 342
17, 6 . . . . . II 344
25, 20 . . . . . I 492
28, 1 sqq. . . . . I 322
28, 34 . . . . . I 323
28, 36 . . . . . I 324
39, 1 sqq. . . . . I 322

Leviticus
1, 15 . . . . . I 387 sq.
5, 8 . . . . . I 388
16, 2. . . . . I 321
21, 18—20 . . . . I 337

Numeri
8, 25. . . . . II 708
18, 18 . . . . . I 331
20, 10. 11. 12 . . II 129
25, 7. 8 . . . . . I 335, II 226

Deuteronomium
25, 5. . . . . I 362
34, 1. 5. 6. . . . . II 130

Iosua
7, 1. 24. 26 . . . III 181
10, 12 . . . . II 279 sqq.

I. *Regum* (I. Samuel.)
1, 28 . . . . . I 78
2, 26 . . . . . I 127

III. *Regum* (I. Reg.)
1, 3 . . . . . II 726
10, 18 . . . . . I 404

13, 1 sqq. . . II 132—137
17, 10 . . . . . III 55
17, 12. 14. 16. . . II 399
19, 9—12. . . . . I 90
22, 27 . . . . . I 66

IV. *Regum* (II. Reg.)
4, 2 sqq. . . . . II 401
5, 27 sqq. . . . . III 185

Isaias
9, 12. . . . . II 570
11, 8. . . . . I 80
22, 22 . . . . . I 320
27, 1. . . . . I 81

Ieremias
31, 38 . . . . . II 210 sq.

Zacharias
5, 1 sqq. . . III 118—127

Malachias
4, 2 . . . . . I 48

Psalmi
16 (17), 8 . . . . IV 205
61 (62), 11 . . . . I 292
77 (78), 57 . . . . II 38
79 (80), 6 . . . . I 66
90 (91), 13 . . . . I 14
126 (127), 2 . . . I 66
134 (135), 6 . . . II 382

Proverbia
22, 17 . . . . . I 292

Iob
7, 17. . . . . I 292

Canticum canticorum
2, 10. . . . . II 745
2, 11. 12 . . . . . II 744
3, 6 . . . . . II 752
4, 4. 7, 4. . . . . I 307

Ecclesiastes
3, 1—8. . . . . II 16. 17
8, 16. . . . . I 292

Daniel
4, 14. . . . . II 174

I. *Paralipomenon* (I. Chron.)
2, 7 . . . . . III 181

Iudith
14, 11 sq. . . . . IV 177

Tobias
6, 12—15. . . . . II 576

I. *Maccabaeorum*
2, 24 sq. . . . . II 226

Evang. Matthaei
5, 14. . . . . I 110
7, 15 . . . . . III 316
8, 24. . . . . IV 66
8, 25. 26 . . . . . IV 72
9, 37. . . . . I 139
10, 16 . . . . . III 358
13, 30 . . . . . I 263
14, 15 sqq. . . . . II 437
17, 1—9 . . . . . II 413
21, 13 . . . . . III 220

Evang. Marci
6, 35 sqq. . . . . II 437
9, 1—9. . . . . II 413
9, 44. . . . . II 161
11, 17 . . . . . III 220

Evang. Lucae
2, 46. . . . . I 195
9, 28—36. . . . . II 413
10, 19 . . . . . I 14
10, 42 . . . . . III 346
14, 8 sqq. . . . . I 287

Evang. Iohannis
1, 14. . . . . II 747
1, 47. . . . . I 85
2, 14. 15 . . . . . III 221
2, 17. . . . . II 225
6, 15. . . . . I 288
10, 5. . . . . II 4
12, 4—6 . . . . . III 115
12, 24 . . . . . II 436
15, 5. . . . . II 427
21, 15—17 . . . . II 735

Acta apostolorum
5, 1—10 . . . . . III 193
9, 15. . . . . II 296
9, 36 sqq. . . . . III 192
16, 7. . . . . II 51 sqq.

Epist. I. ad Corinthios
3, 6 . . . . . I 269
9, 7–14 . . . III 214 sq.
9, 13. . . . . III 200
9, 22. . . . . II 297
13, 12 . . . . . { I 122 / II 731
15, 36. 37 . . . . II 436
15, 45 . . . . . I 371
16, 22 . . . . . III 153
16, 26. 55 . . . . I 199
Ep. ad Galatas
6, 14. . . . . III 169
Ep. ad Ephesios
2, 2 . . . . . I 107
4, 22 sqq. . . . . I 94
6, 12. . . . . I 107
6, 16. 17. . . . . II 59
Ep. ad Philippenses
2, 4 . . . . . I 384
Ep. ad Colossenses
3. 9. 10 . . . . . I 94
Ep. I. ad Timotheum
3, 1–7. . . . . I 299
3, 5 . . . . . I 317
Ep. II. ad Timotheum
2, 20. . . . . III 117
Ep. II. Petri
2, 20. . . . . II 622
Ep. ad Hebraeos
2, 11. 12. 17 . . . I 370
5, 12. 14 . . . . . III 298
Apocalypsis Iohannis
3, 7 . . . . . I 320
7, 11. . . . . I 118

Boethius
de consol. v. 2 . . I 9
in Arist. de interpr.
(p. 221) . . . . . II 33

Cicero
or. Philipp. II 15, 37 I 23
de invent. I 3 . . III 32
in Catilin. II 1 . . IV 282

Commodianus
instruct. II 16, 7.
18, 4. 19, 16. . . IV 284

Dracontius
Orest. 567 . . . . I 73
„ 920 . . . . IV 18
carm. min. 8, 10. 138 } I 277
„ „ 9, 180 }

Frontinus
expos. form. p. 38
Goës. . . . . II 305

Hieronymus quaestiones in libro genes. ed. de Lagarde p. 6. . . . I 59

Horatius
carm. I 1, 2 . . IV 83
„ I 12, 47 . I 49
„ I 37, 17 . III 358
„ III 2, 13 . . IV 172
„ III 24, 44 . II 647
epod. 13, 1. . . . II 512
„ 15, 1. . . . I 49
„ 16, 5. . . . IV 25
satir. I 4, 11 . . I 7
„ I 5, 32 . . II 759
„ I 5, 58 . . II 453
„ I 7, 1 . . . II 454
„ I 10, 48 . . I 10
„ I 10, 50 . . I 7
„ II 2, 81 . . IV 256
„ II 6, 2 . . . II 73
„ II 7, 86 . . I 197
epist I 12, 28 . . IV 342
„ I 16, 55 . . III 198
„ I 16, 53—56 . . . .
. . . .III 204—207
epist. I 18, 110 . IV 239
„ II 1, 177 . . I 3
„ II 1, 192 . . III 39
„ II 1, 199 . . II 473
„ II 3, 273 . . III 24
„ II 3, 359 . . III 25

Isidorus Hispal.

origin. II 25, 1. 9 . . II 29
„ III 5, 3 . . . I 55
„ VII 3, 22 . . III 358
„ XI 1, 16 . . I 55
de nat rer. 9 . . . I 55

Iustinus

I 2, 7 . . . . . II 529
I 2, 8 . . . . . II 528

Iuvenalis

sat. 1, 60 . . . . II 247
„ 5, 125 sqq. . . III 125
„ 6, 236 . . . . II 497
„ 6, 278 . . . . III 166
„ 6, 449 . . . . III 32
„ 6, 519 . . . . II 368
„ 6, 534 . . . . III 154
„ 6, 631 . . . . III 88
„ 7, 237 . . . . III 40
„ 8, 53. . . . . I 386
„ 8, 130 . . . . III 209
„ 10, 182. . II 274—276
„ 15, 16 . . . . II 476

Lucanus

I 107. . . . . IV 203
I 120. . . . . IV 25
I 257. . . . . I 244
I 288. . . . . III 310
II 383. . . . . I 480
II 511. . . . . II 177
III 573. . . . . IV 200
III 576. . . . . IV 200
IV 76 sqq. . . . . IV 250
IV 305. . . . . II 328
IV 560. . . . . II 570
IV 576. . . . . II 647
V 172. . . . . III 100
V 567. . . . . IV 249
V 597. . . . . IV 60
V 609. . . . . IV 57
V 613. . . . . IV 59
V 620. . . . . IV 13
V 630. . . . . IV 59
V 642. . . . . IV 61
VI 673. . . . . II 259
VII 336. . . . . IV 189
VII 363. . . . . I 211
VII 489 sqq. . . . IV 187
VII 496. . . . . IV 191
VII 498. . . . . IV 193
VII 499. . . . . IV 192
VII 502. . . . . IV 194
VII 517. . . . . IV 186
VII 519. . . . . IV 184
VII 520. . . . . IV 185
VII 532. . . . . IV 197
VII 533. . . . . IV 196
VIII 61 . . . . . III 103
VIII 73 . . . . . I 24
VIII 222. . . . . II 662
VIII 291. . . . . II 662
IX 9 . . . . . II 753
